







600003701H







DE

THEOPOMPI CHII

VITA ET SCRIPTIS

DISSERUIT

AUG. JUL. EDM. PFLUGK,

GYMNASII GEDANENSIS PROFESSOR.



BEROLINI

SUMPTIBUS AUGUSTI MYLII

MDCCCXXVII.



DE

THEOPOMPI CHII

VITA ET SCRIPTIS

DISSERUIT

AUG. JUL. EDM. PFLUGK,

GYMNASII GEDANENSIS PROFESSOR.



BEROLINI

SUMPTIBUS AUGUSTI MYLII

MDCCCXXVII.

VIRO CELEBERRIMO

AUGUSTO MEINEKIO

PRAECEPTORI SUO PIE COLENDO

HUNC LIBELLUM

GRATISSIMI ANIMI TESTANDI CAUSSA

CONSECRAVIT

JULIUS PFLUGK.



Quem ex Tuo nuper discessu, Meineki, Vir Celeberrime, maerorem suscepimus, quotquot Tecum communium officiorum societate coniuncti fueramus, is quo me gravius quam ceteros perculit, quod multa Tua atque maxima in me inde ab ipsis pueritiae annis exstarent beneficia, magnaque et fuisset semper et esset mei apud Te caritas, admonuit, ut aliquid scriberem ad Te, quo et mihi in summo meo dolore solatium pararem, et mutuae nostrae amicitiae suavissimaeque consuetudinis monumentum quoddam conderem, quo Tu et mei nonnunquam et eorum, qui Te plurimi apud nos colunt ac diligunt, memoriam revocares. Ac circumspicienti mihi, quid potissimum meorum Tibi offerrem, nihil sane occurrit, quod Tua auctoritate doctrinaque dignnm videretur: sed quum in eo genere munusculorum, de quo ego cogitarem, non pretium rei, sed voluntatem maxime dantis spectari viderem, ex hac me du-

bitatione expedii, et rem eiusmodi elegi, de qua postremis illis acerbissimisque diebus multum nostrum sermonem fuisse meminissem. Prodit igitur, quae Tibi aliqua veteris consuetudinis nota blandiatur, et Tuam illam humanitatem sibi expetat, commentatio de Theopompo Chio: cuius hominis de virtutibus ita Te iudicare intellexi, ut consilii mei rationem explicare ac defendere nihil opus esse videatur. Illud vereor, ne ei caussae, cuius suscepi patrocinium, non idoneam vel exercitationem vel facultatem attulisse videar. Nam ego sane, tametsi scis, quae ego de hoc genere litterarum quotidie commentari soleam, tamen illa meliusne in mea solitudine delitescant, an in lucem emittantur, vehementer saepe dubito. Quamquam qua Tu ratione hoc meum munusculum accepturus sis, minus angor: ceterum res integra est, nec profecto, si haec nihil bonae frugis continere videbuntur, cetera curabo domine an foris pereant. Tu vero me Tibi gratissimi animi sensu devinctum obstrictumque velim existimes, meque, ut facis, ames.

Scrib. Gedani, mense Octobri MDCCCXXVI.

COMMENTATIO
DE
THEOPOMPI CHII VITA ET SCRIPTIS.

Ex eorum numero scriptorum, quibus vel Criticorum sententia et auctoritas vel communis quidam iudiciorum consensus principem in historia scribenda locum assignavit, tres tantum superstites habemus, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem. Quibus qui olim videntur adiuncti fuisse, Philistus, Theopompus, Ephorus, Anaximenes, Callisthenes et Clitarchus, eorum rara in erudita antiquitate vestigia colligimus. Sed nobis ne minuta quidem immitis tempestatis reliquiae contemnendae sunt: quas non sine magno et doctrinae et voluptatis fructu ex multis disparatisque locis congregari atque componi, una et consentiens doctorum hominum opinio est. Amavi Ciceronem, qui, quaestor in Sicilia, Archimedis sepulcrum, septum undique et vestitum vepribus et dumetis atque ab ipsis hominis acutissimi civibus ignoratum, indagavit atque aperuit. [1]) Nec profecto ullum est genus laboris aut dulcius

[1]) Cic. Tusc. Disp. V, 23.

aut laudabilius, quam si iniquitati illi fortunae, quam multi praestantesque viri experti sunt, obviam eas, memoriamque clarorum hominum paene intermortuam excites et tamquam in luce conspectuque colloces. Itaque quum similis fortunae iniuria principes veterum historicorum magna ex parte oppressisset, optime de studio antiquarum litterarum meriti sunt Marxius et Goellerus, quum ille Ephori, hic Philisti et Timaei fragmenta colligeret atque illustraret. Sed his qui neque ingenii neque doctrinae laude cedit Theopompus, saepe ille quidem votis eruditorum expetitus est, sed tamen nondum invenit, qui de eo bene mereri vellet. Nam quae fuit olim spes, fore ut a Kochio, Viro Cl., illius reliquias collectas acciperemus, nondum illa abiecta a Spohnio Coroll. de anno ed. Paneg. Isocr. p. XXXV.: ea haud scio an post tot annorum intervallum irrita censenda sit. [1]) Quod eo magis dolendum est, quia Creuzero haec fuit caussa, cur Theopompea a sua collectione exclu-

---

[1]) *Kochii* prolegg. ad Theopompum, edita Sedini a. 1803., repetenda curavit *Seebodius* Archiv für Philol. und Pädag. 1824. Fasc. III. Ejusdem aliam de eodem scriptore commentationem exhibet *Ruperti* et *Schlichthorstii* Magaz. f. Philol. Tom. I. p. 262 — 268. Ceterum multi passim vel occasione oblata vel data opera de Theopompo dixerunt: *Vossius* de Hist. Graec. I, 7. *Jonsius* de Script. Hist. Philos. I, 9. *Meursius* ad Apollon. Dysc. c. X. ad Hesych. Miles. p. 185. *Fabric.* Bibl. Graec. T. II. p. 801. seqq. Harl. *Ruhnken.* Hist. Crit. Orr. Graec. p. 162. sqq. Reisk. *Heynius* in Comment. Soc. Goett. Vol. VII. cl. philol. p. 110. sqq. De *Gedoyno*, qui in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XIV. et ipse de Theopompo disputasse *dicitur*, ea scripsit Kochius in Prolegg. p. 413. ut illo libro haud aegre carerem.

denda putaret.[1]) Me quum meorum usuum ratio primum ad hunc scriptorem advertisset, eximiae hominis virtutes retinuerunt; atque ab eorum, quibus Macedonum, inprimisque Philippi historia illustrari posset, colligendorum consilio orsus, quum adnotarem subinde, si quid occurreret, quod ad res Theopompi facere videretur: paullatim, ut fit, succrescente materia, rem non indignam existimavi, quam oblata scribendi opportunitate diligentius explicarem. Nam et errores quosdam eorum, qui de Theopompo seripsissent, animadvertisse mihi videbar, et si quod cupiebam minus assequutus fuissem, sperabam tamen doctiorum studia excitari posse, Theopompo, quod unum omnes expetimus, profutura.

Fuit igitur Theopompus patria Chius,[2]) patre Damasistrato, homine ut videtur nobili et opulento: quem Photius, ubi Theopompi censuram agit,[3]) mi-

---

1) v. praef. ad Hist. Graec. Antiquiss. Fr. p. III.

2) Plures eiusdem nominis, sed patria diversi innotuerunt: *Theopompus Atheniensis*, comicus poeta, de quo Suidas T. II. p. 178. Athenaeus et Pollux; *Theopompus Colophonius*, epicus poeta, cuius *Ἁρματίου* fragmentum legimus apud Athen. IV. p. 183. C. Eundem, ut videtur, ad partes vocavit Schol. Apoll. Rh. IV, 57. ubi legendum puto *Θεόπομπος ὁ ἐποποιός*. Ex eo, quod vulgo scribitur, *Θεόπομπος ἐν Ἐποποιοῖς*, fabularum Theopompi Comici indicem interpolavit Fabricius Bibl. Graec. T. II. p. 502. Harl.; tertius *Theopompus Sinopensis*, cuius librum *περὶ σεισμῶν* laudat Phlegon Trall. de reb. mirab. 19.; denique *Theopompus Cnidius*, Caesaris amicus, Strab. XIV. p. 200. Tauchn. Cic. ad Attic. XIII, 7. Ern. Clav. p. 216. Alios plurimos cognovimus, quorum in republica opera conspicua fuit; quos hoc loco commemorare nihil attinet.

3) Bibl. Cod. CLXXVI. T. I. p. 120. Bekk.

nus recte Damostratum appellat. De aetate Theopompi certiora teneremus, si superstitem haberemus librum singularem *Hermippi*, in quo *de Isocratis discipulis* exposuit. Vid. Dionys. Halic. de Isaeo iudic. I. Vol. V. p. 588. Reisk. Athen. X. p. 451. E. Ex hoc libro derivata videntur, quae idem Athenaeus L. I. p. 21. C. Hermippo teste tradit: eundem, in vita Hyperidis, ni fallor, vel Anaximenis, auctorem produxit eorum, quae de Phrynes iudicio leguntur Lib. XIII. p. 590. D. Minus accurate de eodem Harpocrat. s. v. *Εὐθίας*, cf. Maussac. Tom. II. p. 187. Lips. De ipso quoque *Isocrate* librum scripsit Hermippus, teste Athenaeo, XIII. p. 592. D. *Menophanem* quendam, qui res Theopompi persequutus sit, commemorat *Photius*. Nunc maximis in rebus incerti haeremus. *Suidae* quidem, qui quum ceterorum scriptorum, tum Theopompi nostri memoriam breviter, sed, ut solet, satis negligenter complexus est, „temporibus anarchiae Atheniensium, h. e. Olymp. XCIII." fuisse vel natus esse dicitur: *γεγονὼς* [1]) *ἐπὶ τῆς ἀναρχίας τῶν Ἀθηναίων ἐπὶ τῆς ἐννενηκοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος*. Huius auctoritatem sequuti sunt Josephus Scaliger et J. G. Vossius, quamquam non ad eundem uterque annum retulerit. Nam ille in Olymp. descript. (Valck. ad Adon. p. 269. B.) Theopompum Olymp. XCIII, 1. assignavit, hic in libro de Hist. Graec. IV, 8. quattuor annis recentiorem fecit. Contra hos duumviros disputavit Jonsius de script. Hist. Philos. I, 9. qui quum Theopompum et post Olymp. CIX. scripsisse et Alexandri Magni

---

1) Marx. ad Ephor. p. 18. seq. Welcker. prolegg. ad Theogn. p. XVI.

tempora attigisse testimoniis veterum evicerit, suo iure Scaligerana illa: Θεόπομπος ὁ Χῖος συγγραφεὺς ἐγνωρίζετο, quae Olymp. XCIII, 1. adscripta sunt, ad Olympiadem CX. transferri postulat.

Sed equidem miror Jonsii, viri diligentissimi, silentium de loco Photii, qui, quemadmodum etiam superstitem Alexandro fuisse demonstrat, ita mihi quidem etiam certiora quaedam de anno eius natali indicia continere videtur. Apponam verba Photii:

Ἔστι δὲ Θεόπομπος Χῖος μὲν τὸ γένος, υἱὸς δὲ Δαμοστράτου. Φυγεῖν δὲ λέγεται τῆς πατρίδος ἅμα τῷ πατρὶ, ἐπὶ Λακωνισμῷ τοῦ πατρὸς ἁλόντος· ἀνασωθῆναι δὲ τῇ πατρίδι τελευτήσαντος αὐτῷ τοῦ πατρός, τὴν δὲ κάθοδον Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως δι' ἐπιστολῶν τῶν πρὸς Χίους καταπραξαμένου. Ἐτῶν δὲ εἶναι τότε τὸν Θεόπομπον ε' καὶ μ'.

Haec ille. Quodsi probabiliter demonstrari possit, quando Alexandri auctoritate patriam recuperaverit, detractis XLV annis, h. e. undecim Olympiadibus et amplius uno anno, habebis natalem Theopompi. Nam de vitio in Photii verbis cur suspicaretur Markius ad Ephor. p. 19. not., nihil sane habuit, nisi quod numerorum apud Suidam in Ephori et Theopompi aetate designanda consensu motus videtur. Cui equidem eo minus tribuendum arbitror, quod ea spero ex communi Graeciae historia me allaturum, quibus Photii rationes plane confirmentur. Constat igitur Alexandrum, quum res Graeciae turbari comperisset, missis litteris, quae in Olympiorum celebritate Olymp. CXIV, 1. 324. a. Chr. n. recitarentur, imperasse ut exsules omnium Graecarum civitatum (plus viginti millibus hominum) restituerentur, idque negotium Antipatro mandas-

se. [1]) Qua occasione si Theopompum quoque a Chiis receptum statuas, natus sit necesse est Olymp. CII, $\frac{3}{4}$. Enimvero vicisse illum eloquentia in ludis funebribus Mausoli, Cariae regis, Gellius auctor est: [2]) qui sive Olymp. C, 2. ut Plinius [3]) tradit, sive Olymp. CIII., quam indicat Suidas, [4]) sive denique Olymp. CVI, 4. quae est sententia Diodori, [5]) obiit: fieri non potest, ut annus natalis Theopompi recte habeat. Quare aliud tempus quaerendum est, quo Chium historicum in patriam deductum esse probabilius videatur.

Persis igitur equestri ad Granicum praelio fugatis, magnum exstitit satraparum civitatumque certamen atque incredibilis cupiditas ad Macedonas desciscendi, quae multo graviorem quam ipsa pugna rebus Persarum cladem inflixit. Ac maxime is ardor Graecos ceperat, quorum se libertatis caussa Alexander bellum contra barbaros suscepisse dicebat. [6]) Itaque primum Sardes, ardua ac prae-

---

1) Diod. Sic. XVII, 109. XVIII, 8. ubi exstat litterarum exemplum: *Βασιλεὺς Ἀλέξανδρος τοῖς ἐκ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων φυγάσι. Τοῦ μὲν φεύγειν ὑμᾶς οὐχ ἡμεῖς αἴτιοι γεγόναμεν, τοῦ δὲ κατελθεῖν εἰς τὰς ἰδίας πατρίδας ἡμεῖς ἐσόμεθα, πλὴν τῶν ἐναγῶν. γεγράφαμεν δὲ Ἀντιπάτρῳ περὶ τούτων, ὅπως τὰς μὴ βουλομένας τῶν πόλεων κατάγειν ἀναγκάσῃ.*

2) Gellius N. A. X, 18. cf. Suid. s. v. *Ἰσοκράτης*.

3) Plinius Hist. Nat. XXXVI, 6.

4) Suidas s. v. *Θεοδέκτης*.

5) Diod. Sic. XVI, 36.

6) Diod. Sic. XVII, 24. *μάλιστα δ' εὐεργέτει τὰς Ἑλληνίδας πόλεις, ποιῶν αὐτὰς αὐτονόμους, ἀφορολογήτους, προσεπιλέγων, ὅτι τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερώσεως ἕνεκα τὸν πρὸς Πέρσας πόλεμον ἐπανῄρηται.*

rupta arce munitas, a Mithrina recepit; inde quarto die Ephesum a mercenariis militibus relictam pervenit ac populare imperium restituit.[1]) Magnesia et Tralles legatos miserunt, qui eas urbes Alexandro traderent. Antimachus cum quinque fere millibus militum ad Aeolicas Jonicasque civitates, e quibus Persae nondum excesserant, liberandas missus est, negotiumque datum, ut optimatium ubique imperia dissolveret et populo summam rerum traderet.[2]) Quo quidem tempore haud dubie ea sunt foedera facta et tabulis publicis incisa, quae Mytilenaeis[3]) et Tenediis cum Alexandro fuere:[4]) cuiusmodi foedus etiam cum *Chiis* convenisse ex eo probabile est, quod hos mox, utpote Alexandri amicos, a Persarum exercitu oppugnari videmus. Atque eadem foedera haud secus quam formula pacis a Persarum postea ducibus proposita[5]) exsulum mentionem habuisse videntur: quos Ephesum ipse Alexander reduxit.[6]) Rex interea Miletum expugnavit atque Halicarnassum aggressus est. Quam urbem quamquam Memnon Rhodius, cui tum temporis summam rerum Darius permiserat, maxima vi defendere conaretur, vicit tamen Macedonum constantia. Quamobrem quum arcem praesidio firmasset, relicta urbe in Con insulam traie-

---

1) Arrian. de Exped. Alex. I, 17.

2) Arrian. de Exped. Alex. I, 18, §. 1 — 3.

3) De scriptura huius nominis vid. Plehn. Lesb. p. 10 seqq.

4) Arrian. de Exped. Alex. II, 1, §. 7. 2, §. 4.

5) Arrian. ll. cc.

6) Arrian. I, 17, §. 11.

cit. [1]) Sed accepta magna vi pecuniae, quum Macedonas, nisi navali bello, quo ipsi rudes erant, Persae plurimum pollebant, superari non posse intelligeret, classem trecentarum navium paravit, qua anno sequente (Olymp. CXI, $\frac{3}{4}$.) *Chium* proditam recepit et Lesbi civitatibus expugnatis Mytilenen, quae sola restitit, obsidione circumdedit. Hinc iam ipsi Graeciae imminebat, qua ad rebellionem excitata Alexandrum revocari posse sperabat; ac si diutius vixisset, certe in magnum discrimen res Macedonum adduxisset. Sed in obsidione Mytilenes morbus illum oppressit. [2]) Post hunc qui exercitui Persarum praefuerunt, Autophradates et Pharnabazus, Mytilenen ad deditionem compulerunt, missoque cum decem navibus ad Cycladas insulas Datame, Tenedios in fidem receperunt. [3]) Datames vero ad Siphnum a Protea, qui Antipatri iussu naves ex Euboea et Peloponneso conduxit, oppressus octo navibus amissis cum reliquis *duabus* ad maiorem classem aufugit. Itaque Pharnabazus et Autophradates, relicto *Chii* praesidio ac parte navium in Con et Halicarnassum missa, cum centum praestantissimis in Siphnum insulam traiecerunt. Ubi quum Agis, rex Lacedaemoniorum, eos convenisset, nuncio cladis ad *Issum* acceptae deprehensi sunt. Quare Pharnabazus quidem cum duodecim triremibus et mercenariorum militum mille et quingentis *Chium* rediit, veritus, ne quid *Chii*, erecti eo nuncio animis, novarum rerum molirentur. Autophradates vero, postquam Agidi triginta talenta

---

[1]) Diod. XVII, 23—28. Arrian. I, 20—23.
[2]) Diod. XVII, 29.
[3]) Arrian. II, c. I. et 2.

et decem triremes concesserat, Halicarnassum digressus est. [1]) Sed postquam Alexander, Phoenice et Syria recepta, ad Aegyptum usque penetraverat, plebs *Chiorum*, navalibus Alexandri copiis advocatis, Persarum praesidium eiecit: quo facto etiam Lesbus et Cos a Macedonibus recuperatae sunt. Apollonidem vero Chium, Phisinum, Megareum ceterosque defectionis Chiorum auctores ab Hegelocho, Macedonicae classis duce, (cf. Arrian. II, 2, 6.) in Aegyptum deductos et Elephàntinen, extremam eius provinciae urbem, relegatos Alexander acri custodia circumdedit. [2])

Jam duplicem rationem iniri posse video, ut Theopompum aut sub ipsum Alexandri in Asiam adventum, post pugnam ad Granicum, Olymp. CXI, 3. 334. a. Chr. civibus suis commendatum esse, aut post receptam Chium, h. e. Olymp. CXII, 1. 332. a Chr. regis gratia in patriam rediisse statuamus. Difficile dictu est, utrum horum verius sit. Si prius, ut ego maxime opinor; natus est Theopompus Olymp. C, 2.: sin posterius probamus, duobus annis recentior fit.

At repugnant, inquies, Plinius et Suidas, qui si vera de tempore, quo Mausolus mortuus sit, tradiderunt, fieri non potest, ut Olympiade centesima natus sit Theopompus. Ex hoc nos difficultate expedit Diodorus, qui Mausolum integris *sex* Olympiadibus et quod excurrit post Olymp. C, 2. vixisse docet Lib. XVI. c. 36. Ac ne forte dicas, errasse hominem negligentiae saepe convictum, lege eundem Lib. XVI. c. 7. ubi Mausolum Chiis in

---

[1]) Arrian. de Exped. Alex. II, 13, §. 4—8.

[2]) Arrian. de Exped. Alex. III, 2, §. 4—9.

bello sociali (Olymp. CV, 3.) auxilia misisse narrat: in quo consentientem habet Demosthenem de pac. p. 63. de Rhod. lib. p. 191. coll. Liban. in Argum. ei. Orat. p. 190.

Sed quoniam Theopompus patrem, Laconismi crimine damnatum, in exsilium sequutus esse dicitur, videamus, quo tempore id factum esse probabile sit. Ipsum quidem crimen, quo concidit Damasistratus, eiusmodi est, ut in ea tantum tempora incidere potuerit, quibus de principatu Graeciae Lacedaemonii certarent. Qui quum omnem illam controversiam, plus LXX annis maxima contentione agitatam, post Agesilai mortem (Olymp. CIV, 4.) remiserint: apparet Damasistrati exsilium, quod quidem, quoniam Theopompum filium comitem habuit, certe non prius Olympiade centesima esse potuit, intra hanc ipsam Olympiadem et centesimam quartam accidere debuisse. Fuerant autem Chii inde a belli Peloponnesiaci temporibus in partibus Lacedaemoniorum; nec tamen ita illorum se auctoritati et imperio addixerant, ut contra harmostarum iniquitatem hiscere non auderent. Quocirca quum gravius in dies Lacedaemoniorum imperium aegre ferrent, Cononi post Cnidiam victoriam (Olymp. XCVI, 3.) insulas classe adeunti se tradiderunt. [1]) Sed non multo post cum Lacedaemoniis videntur in gratiam rediisse. Interim Cadmeae a Phoebida occupatae iniuria totius Graeciae indignationem moverat. Itaque quum Thebani, Pelopida duce, libertatem recuperassent, et Athenienses imprudenti Sphodriae, Thespiensis harmostae, incursione offensi nec iam occultas adversus Lacedae-

[1]) Diod. Sic. XIV, 84.

daemonios inimicitias exercentes, universam Graeciam ad societatem belli contra communes omnium libertatis hostes gerendi concitarent: primi Chii in partes transgressi sunt, [1]) Olymp. C, 4.

Eo ipso tempore Damasistratum cum aliis optimatium expulsum esse coniicio. Quod si verum est, ut est certe veri simillimum, Theopompum, paternae calamitatis socium, tum admodum tenera aetate fuisse oportet. Quae res tantum abest, ut officere nostrae sententiae possit, ut eam etiam confirmare videatur. Nam si quis Photii verba, a quibus omnis haec disputatio profecta est, paullo diligentius consideraverit, non dubito, quin miraturus sit primo stultitiam hominis, qui quot annos Theopompus ab exsilio rediens habuerit, commemoret, quando natus sit, reticeat. Sed postquam nostra disputatione, ut speramus, ad liquidum perductum est, Theopompum infantem atque in ipso vitae limine patria privatum esse: non laudamus sane Photium, qui alterum nos celet, sed rationem tamen perspicimus, cur annum reditus potius quam natalem commemoraverit. Multorum narrantur exsilia sine eiusmodi aetatis notatione: illud vero non praetereundum erat, eum, qui a prima infantia patria caruisset, *quadragesimo quinto* demum anno in civium iura rediisse.

Zenonem quidem Stoicum ferunt primo mercaturam facere solitum; tum, eiectum naufragio ad Piraeeum, operam Athenis philosophiae dedisse atque illam saepe vocem usurpasse: *Νῦν εὐπλόηκα, ὅτε νεναυάγηκα.* [2]) Ac Theopompo tum optime con-

---

[1]) Diod. Sic. XV, 28.

[2]) Diog. Laert. VII, 4. Seneca de tranq. anim. 14.

suluisse fortunam videmus, quum et ipse, patria extorris, quodam quasi naufragio fortunarum afflictus videretur. Primum quidem Ephesiae Dianae supplex factus esse dicitur, [1]) cuius fani vetustissimi maxima apud Graecos religio fuit. [2]) Postea Athenis, quo tamen vix ante Olympiadem CV., qua ineunte XIX. vel XX. annorum fuit, videtur concedere potuisse, Isocratis rhetoris disciplina utebatur, cuius domus illis temporibus, quasi quaedam officina dicendi incredibili discipulorum multitudine maximisque eloquentiae studiis florebat. [3]) Qui quum ceteros, qui eius scholas frequentabant, tum Theopompum nostrum ad splendidum quoddam genus dicendi atque ornatum, adstrictum numeris, sententiis argutum conformavit, ingeniisque discipulorum universam prope Graeciam gloria sua implevit: [4]) qua motum etiam Aristotelem ferunt, ut cum philosophorum disciplina dicendi praecepta con-

---

1) Suid. v. Ἔφορος.

2) Spanhem. ad Callim. h. Dian. 248. cf. Plut. de vit. aer. alien. c. 3.

3) Cic. Brut. 8. Photius Cod. CLXXVI. T. I. p. *120*, 30. Cod. CCLX. T. II. p. 486, 37. τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν ipse sibi obiectum esse dicit Isocrat. π. ἀντιδ. §. 5. T. II. Orr. Attic. Bekk. p. 348.

4) Isocratis in docendo gloria effecit, ut nonnulla eius in hoc genus dicta veteribus digna memoratu visa sint: quae ad auctorem suum relata multos libenter h. l. lecturos arbitror. Theon. Progymn. p. 51. Cam. Ἰσοκράτης ὁ σοφιστὴς τοὺς εὐφυεῖς τῶν μαθητῶν θεῶν παῖδας ἔλεγεν εἶναι. Idem p. 54. cll. p. 60. Ἰσοκράτης ὁ ῥήτωρ παρῄνει τοῖς γνωρίμοις, προτιμᾶν τῶν γονέων τοὺς διδασκάλους, ὅτι οἱ μὲν τοῦ ζῆν μόνον, οἱ δὲ διδάσκαλοι καὶ τοῦ καλῶς ζῆν αἴτιοι γεγόνασι. Aphthon. Progymn. p. 4. Cam. Ἰσοκράτης τῆς παιδείας τὴν ῥίζαν πικρὰν ἔφη, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς.

iungeret, [1]) quamquam alii id eum aemulationis contra Platonem studio instituisse dicant. [2])

Sed operae pretium est, quosdam illorum commemorare, quos tum Graecia admirabatur: quandoquidem talium tantorumque hominum consuetudine et Theopompi nostri studia incitata atque adiuta esse probabile est, et quasdam eum ex illo condiscipulatu inimicitias suscepisse coniicio. Principes igitur Isocraticorum fuerunt Ephorus Cumaeus, quamquam is quidem minus ingenio, ut videtur, quam diligentia conspicuus; Theodectes Phaselita, [3]) Naucrates Erythraeus, [4]) Anaximenes Lampsacenus, [5]) Cephisodorus, cui Historiam belli sacri ab Anonymo interpr. ad Aristot. Nicom. III. p. 46. b. laudatam non sine magna specie probabilitatis tribuit Ruhnkenius Hist. Crit. Or. Gr. p. 159. et ante eum Ionsius de script. Hist. Philos. I, 13. p. 80. Dubitat, sed, ut equidem arbitror, iniuria Siebelis *Epist. ad Lenzium* p. XV. Harlesius vero ad Fabric. Bibl. Gr. II. p. 353. belli sacri scriptorem neque eundem cum Isocratis discipulo et incertae aetatis esse existimat. His adde Asclepiadem, *τραγῳδουμένων* scriptorem, Plutarch. V. X. Orat. p. 237. Werfer. Act. Philol. Monac. T. I. p. 492. sqq. Phi-

---

1) Cic. Tusc. Disp. I, 4.

2) Theodorus Metoch. Misc. Philos. et Hist. c. 25.

3) De hoc insignis est locus Steph. Byz. p. 692. Pin. observatus iam Ruhnkenio. Add. Goettling. ad Aristot. Polit. p. 291. seq. Natus erat circa Olymp. C. cf. Plutarch. Alex. p. 674.

4) Ruhnken. Hist. Crit. p. 160. Naucratem poetam comicum habemus apud Athen. X. p. 399. E.

5) Suid. et inprimis Dionys. de Isaeo 19. Vol. V. p. 625.

liscum Milesium, cuius discipulus fuit Timaeus; [1]) Metrodorum, quo praeceptore usus esse dicitur Theocritus Chius. [2]) Multi etiam eorum, qui praecipuas in republica Atheniensium administranda partes sustinuerunt, ex Isocratis disciplina perfectam quandam eloquentiae formam retulerunt; omnes denique, qui dicendo operam darent, repertis ab illo uberioris exquisitiorisque orationis praesidiis aucti sunt. In hoc numero recensentur Isaeus, Hyperides, [3]) Leodamas; [4]) Demosthenem quoque illius institutionem appetivisse narrant, sed deterritum ingenti pretio ad Isaeum se contulisse. [5])

Sed hi quidem, quamquam ad veram eloquentiae speciem et quasi figuram ab Isocrate ducti, tamen etiam domo aliquid attulerunt, nervos, ut ita dicam, et lacertos orationis, dicendique virtutem ex scholae umbraculis in lucem forumque, tamquam in aciem, protulerunt atque ab otii delectatione ad reipublicae utilitatem traduxerunt. Eorum vero, qui more institutoque magistri doctam quandam copiam elegantemque ubertatem, quae deliniret animos, non percelleret, sequuti sunt, longe clarissimus fuit Theopompus Chius. [6]) Cuius acerrimo ingenio prudens

---

[1]) Suid. v. Τίμαιος, Hesych. Miles. p. 59. Orell. De hoc Philisco aliisque eiusdem nominis erudite disputavit Fr. Goeller. de Phil. p. 108 sqq. De Philico Corcyraeo adde Naekium Sched. Crit. p. 18.

[2]) Suid. s. v. Θεόκριτος.

[3]) Photius T. II. p. 487. 492. 495. Bekk.

[4]) De quo egregie Ruhnkenius l. c. p. 143 seq.

[5]) Plutach. Demosth. c. 5. p. 848. Frcf. Vit. X. Orat. p. 238. Hutt.

[6]) Ἐπιφανέστατος πάντων Ἰσοκράτους μαθητῶν. Dionys. Epist. ad Pomp. c. 6. Vol. VI. p. 782. cf. Phot. p. 121, 15.

doctor Isocrates sic moderabatur, illi ut frenos se adhibere, Ephoro calcaria admovere diceret. [1]) Similiter Platonem, quum Xenocratem paullo tardiorem cum Aristotelis fervore compararet, dixisse ferunt: τῷ μὲν μύωπος δεῖ, τῷ δὲ χαλινοῦ: [2]) eodemque modo de Theophrasto, benigniore vena praedito, et Callisthene, homine tristi et severo, sed parum acuto, Aristoteles iudicavit. [3]) Sed Isocrates, quum argumentum illis, in quo elaborarent, subiiciendum esset, considerata utriusque indole, Theopompo historiam rerum Graecarum, quam quo minus inchoatam perficeret, morte interceptus fuerat Thucydides, [4]) plenam civilium dissensionum agitatamque magnis hominum et virtutibus et vitiis atque ipsa temporum vicinitate commotiorem assignavit; Ephorum ad antiquitatis Graecae memoriam, remotam a partium studiis et invidia, investigandam et placido quodam flumine orationis eruditaque facundia explicandam incitavit. [5]) Sed de genere dicendi, quo usus est Theopompus, librisque, quos edidit, infra latius erit disputandum. Nunc illud animadvertamus, eum etiam Platoni videri operam dedisse, eodem credo consilio, quo Demosthenem quoque et multo post Ciceronem discendi caussa in Academiae spatia descendisse accepimus. [6]) Nam

---

1) Cic. Brut. 56. de Orat. III, 9. Quintil. J. O. II, 8, 11. Suid. s. v. Ἔφορος.

2) Diog. Laert. IV, 6.

3) Diog. Laert. V. 39. Imitatus est Longin. de Subl. 5. II. p. 7. Oxon.

4) Goeller. Vita Thucyd. p. 11.

5) Photius T. I. p. 121, 27.

6) Cic. Orat. 4. seq. Brut. 31. Plut. Demosth. p. 848.

ne illum philosophiae, Platonicae quidem, admodum favisse suspicemur, facit libellus, quem postea contra Platonem, acerrimum rhetorum eiusque vitae instituti, quod praeter ceteros Theopompus sequutus est, adversarium, edidit. Quid? quod bellum paene Isocraticorum familia illi sophistarum irrisori indixisse videatur. Nam Cephisodorus quoque, discipulus et ipse Isocratis, contra Platonem scripsit, [1]) idemque Aristotelem quattuor libris impugnavit. [2])

Primum eloquentiae specimen Theopompus dedisse videtur in ludis funebribus, Mausoli, regis Cariae, honori ab eius sorore eademque coniuge Artemisia institutis. Nemo nescit masculam illam feminam, Lygdamis filiam, quae quum Halicarnassensium, Coorum, Nisyriorum et Calydniorum imperium a marito acceptum obtinuisset, ne bellicos quidem tumultus pertimuit, Xerxique, quum Graeciae bellum inferret, multum et prudentia et fortitudine profuit. [3]) Huius in nomen regnumque saeculo fere post successit illa, de qua nos loquimur, filia Hecatomni, qui quum Mylasis primum dominaretur, [4]) temporum sub Artaxerxe Mnemone callidus, fere universae Cariae imperium nactus est, nec tamen vel gratia Regis vel minis et imperio moveri potuit, ut Evagoram, ob defectionem magna

---

[1]) Dionys. Vol. VI. p. 757.

[2]) Athen. II. p. 60. D. Themist. Orat. XXIII. p. 285.

3) Herodot. VII, 99. VIII, 87. 88. 101—103. Harpocr. et Suid. s. v. Huius Artemisiae nepotem Lygdamin Herodotus regno privavit. Suid. s. v. Ἡρόδοτος.

4) Strab. XIV. p. 205.

mole belli oppugnatum, ne clam adiuvaret. [1]) Huius domus quum ceterarum rerum copiis esset ornatissima, tum haud exiguum habuit et decus et praesidium numerosam progeniem liberorum. Tres enim fuerunt filii, Mausolus, Idrieus, Pixodarus; filiae duae, Artemisia et Ada. Qui omnes deinceps regnaverunt, ut vere Artemisia de se posset praedicare, quod Archedice, Hippiae filia, [2])

— *πατρός τε καὶ ἀνδρὸς, ἀδελφῶν τ' οὖσα τυράννων.*

Illorum maximum natu Mausolum, qui quo tempore patri successerit non liquet, magnae satraparum rebellionis, quae sub exitum regni Artaxerxis Mnemonis fuit, socium commemorat Diodorus XV, 90. quum quidem eum *πολλῶν ἐρυμάτων καὶ πόλεων ἀξιολόγων κυριεύοντα* dicit, *ὧν ἑστίαν καὶ μητρόπολιν συνέβαινεν εἶναι τὴν Ἁλικαρνασσόν, ἔχουσαν ἀκρόπολιν ἀξιόλογον καὶ τὰ τῆς Καρίας βασίλεια.* [3]) Bellum sociale a Rhodiis, Chiis, Cois et Byzantiis contra Athenienses gestum, Olymp. CV, 3. — Olymp. CVI, 1., illi augendae potentiae occasionem dedit. Nam et militem in arcem Rhodiorum induxit, et optimatibus quibusdam ad avertendum imperium populare operam praestitit. [4]) Atheniensium ad eum legationis, haud dubie huius belli tempore missae, meminit Demosthenes. [5]) De mortis genere aliquid suspicari possumus ex Isocrat. Philipp. §. 103. 104.

---

[1]) *Theopompus* Philipp. Lib. XII. ap. Phot. C. CLXXVI. Isocrat. Paneg. 43. Diod. XIV, 98. XV, 2.

[2]) Thucyd. VI, 59.

[3]) Cfr. Strab. XIV. p. 200. Lucian. Dial. Mort. XXIV.

[4]) Demosth. de Rhod. lib. p. 191. 194.

[5]) c. Timocr. p. 703, 21.

T. II. p. 114. s. Bekk. *Καὶ μὴν Ἰδριέα γε τὸν εὐπορώτατον τῶν νῦν περὶ τὴν ἤπειρον* (cf. **Morus** ad Isocr. Paneg. p. 100. Spohn. ad eund. p. 132.) *προςήκει δυςμενέστερον εἶναι τοῖς βασιλέως* (regis **Persarum**) *πράγμασι τῶν πολεμούντων· ἦ πάντων γ᾽ ἂν εἴη σχετλιώτατος, εἰ μὴ βούλοιτο καταλελύσθαι ταύτην τὴν ἀρχὴν τὴν αἰκισαμένην μὲν τὸν ἀδελφὸν, πολεμήσασαν δὲ πρὸς αὐτὸν, ἅπαντα δὲ τὸν χρόνον ἐπιβουλεύουσαν καὶ βουλομένην τοῦ τε σώματος αὐτοῦ καὶ τῶν χρημάτων ἁπάντων γενέσθαι κυρίαν. ὑπὲρ ὧν δεδιὼς νῦν μὲν ἀναγκάζεται θεραπεύειν αὐτὸν καὶ χρήματα πολλὰ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἀναπέμπειν κ. τ. λ.* Hinc indicare licet, quid valeant illa Diodori XVI, 42. quibus Idrieus, ut *φίλος καὶ σύμμαχος Περσῶν ἐκ προγόνων*, praedicatur. Ceterum eodem Diodore teste Lib. XVI, 36. defunctum esse Mausolum Olymp. CVI, 4. supra monuimus. Quo tempore quum Artemisia regnum suscepisset, Demosthenes Athenienses hortatus est, ut populum Rhodiorum in libertatem vindicarent: quod tum factum esse, quum Ochus priorem in Aegyptum expeditionem, quae successu caruit, ingressus esset, (Olymp. CVII, 2.) ex ipsa Demosthenis oratione colligitur. [1]) Eodem anno, luctu et tabe confecta, amantissima viri uxor decessit, [2]) regnumque fratri Idrieo reliquit. Huic Olymp. CIX, 1. successit, quae ei nupta fuerat, minor natu soror Ada, [3]) quam frater Pixodarus eiecit initaque

---

1) de Rhod. lib. §. 11. 12. Bekk. p. 193, 18. coll. Diod. XVI, 40. Dionys. Halic. Epist. ad Amm. Vol. VI. p. 726.

2) Cic. Tusc. Disp. III, 31. Strab. XIV. p. 201. Diod. XVI, 42. 45. Isocr. Phil. §. 103. 104. Phot. Lex. s. v. *Ἰδριεύς*.

3) Diod. XVI. 69. coll. XVII, 24.

cum Persis societate regnum obtinuit. [1]) Hunc puerum, una cum fratre Mausolo graviter aegrotantem, Dexippus Cous medicus sanitati restituit, ea conditione, ut Hecatomnus pater a bello contra Coos desisteret. [2]) Pixodaro (Olymp. CXI, 1.) defuncto, Orontobates satrapa, quem sibi generum adsciverat, etiam Halicarnasso potitus est. Interim Ada Alinda retinuit, quumque Alexander, victis ad Granicum Persis, has regiones attigisset, tum illi et Alinda tradidit et contra rebelles operam pollicita est, et vero ab rege impetravit, ut se adoptari ab ipsa pateretur. [3])

Sed redeamus ad Mausolum, cuius quanta apud uxorem caritas fuerit, accipe a Gellio: [4]) *Is Mausolus ubi fato perfunctus est et inter lamenta et manus uxoris funere magnifico sepultus est, Artemisia, luctu atque desiderio mariti flagrans uxor, ossa cineremque eius mixta odoribus contusaque in pulveris faciem aquae indidit ebibitque multaque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur.* Tum etiam nobile illud sepulcrum, ex quo similis magnificentiae opera Mausolei apud Romanos nomen duxerunt, [5]) inter septem orbis spectacula numeratum exstruxit. [6]) Quod quum dedicaret, propositis am-

---

1) Diod. XVI, 74.

2) Suid. v. *Δέξιππος* Eundem commemorat Plut. Alex. 10. ubi male scribitur *Πηξόδωρος*. Cfr. Wesseling. ad Diod. T. II. p. 139.

3) Diod. XVII, 24. Strab. XIV. p. 201. Arrian. de Exped. Alex. I, 23, 8—12. Adde Plutarch. Alex. 22.

4) Noct. Att. X, 18.

5) Paus. VIII, 16, 3.

6) Gell. l. c. et intpp. adde Strab. XIV. p. 200. 201.

plissimis praemiis, ἀγῶνα illum instituit, in quo decertans Theopompus cum Theodecte, Naucrate atque Isocrate, ut equidem arbitror, Apolloniate vicisse dicitur. [1]) Quod Apolloniatem Isocratem potius quam nobilem illum Atheniensem eundemque praeceptorem Theopompi superatum esse existimo, in eo mihi discors Ruhnkenio (Hist. Crit. p. 161.) sententia est. De qua ne quid dubitationis relinquatur, amplius dicendum est. Altera igitur sententia, quae Theopompum cum praeceptore suo committit, tres habet auctores, sed eos parum locupletes, Pseudo-Plutarchum, Gellium, Porphyrium. Quorum quem primo loco nominavi, Pseudo-Plutarchum [2]) satis constat ceterorum argumentorum ponderi tamquam cumulum adiicere posse, rem eiusmodi, in qua multa sunt, quae repugnare videantur, sua solius auctoritate confirmare non posse. Secundus est Gellius, cuius verba [3]) qui paullo accuratius consideraverit, intelliget profecto, hunc testem, utram in partem aliarum rationum gravitas inclinaverit, eo et ipsum cessurum. Sed his ne Ruhnkenius quidem multum tribuit. Relinquitur Porphyrius, cuius verbis minime ambiguis motum esse Ruhnkenium non miror. Exstat locus apud Eusebium: [4]) *Καίτοι ὑπερφρονεῖ (ὁ Θεόπομπος) τὸν Ἰσοκράτην, καὶ νενικῆσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ λέγει κατὰ τὸν ἐπὶ*

---

[1]) Suid. s. v. Ἰσοκράτης. Tom. II. p. 151.

[2]) V. X. Orat. p. 240.

[3]) Ea sic habent: *Ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua praestabili, Theopompus, Theodectes, Naucrates. Sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum iis certavisse memoriae mandaverint.*

[4]) Euseb. Praep. Evang. X, 3. p. 464. C. ed. Colon.

Mausolo ἀγῶνα τὸν διδάσκαλον. Quae si ex illius, cuius sub nomine venditantur, auctoritate iudicamus: actum est. Sin eam vel Porphyrii vel Eusebii fidem esse agnoscimus, quae in verba singula non nimis sollicita sit: [1]) id puto obtinebimus, nominis errore iam olim nonnullos deceptos esse. Audiamus primum Photium: συνακμάσαι δὲ λέγει αὐτὸς (Theopompus) ἑαυτὸν Ἰσοκράτει τε τῷ Ἀθηναίῳ καὶ Θεοδέκτῃ τῷ Φασηλίτῃ καὶ Ναυκράτει τῷ Ἐρυθραίῳ, καὶ τούτους ἅμα αὐτῷ τὰ πρωτεῖα τῆς ἐν λόγοις παιδείας ἔχειν ἐν τοῖς Ἕλλησιν· ἀλλὰ Ἰσοκράτην μὲν δι' ἀπορίαν βίου καὶ Θεοδέκτην μισθοῦ λόγους γράφειν καὶ σοφιστεύειν, ἐκπαιδεύοντας τοὺς νέους κἀκεῖθεν καρπουμένους τὰς ὠφελείας· αὐτὸν δὲ καὶ Ναυκράτην, αὐτάρκως ἔχοντας ἐν τούτοις ἀεὶ τὴν διατριβὴν ἐν τῷ φιλοσοφεῖν καὶ φιλομαθεῖν ποιεῖσθαι, καὶ ὡς οὐκ ἂν εἴη αὐτῷ παράλογον ἀντιποιουμένῳ τῶν πρωτείων. Tum multitudinem scriptorum suorum commemorat, nominisque claritudinem, quam orationibus suis in universa Graecia consequutus sit. Ταῦτα αὐτὸς περὶ αὑτοῦ λέγων, pergit Photius, τοὺς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ἔχοντας ἐν λόγοις τὸ πρωτεύειν πολὺ καταδεεστέρους ἀποφαίνεται τῶν καθ' ἑαυτὸν οὐδὲ τῆς δευτέρας τάξεως ἀξιουμένων, καὶ τοῦτο δῆλον εἶναί φησι καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν παρ' ἑκατέροις ἐκπεπονημένων καὶ καταλελειμμένων λόγων· πολλὴν γὰρ τὴν τοιαύτην παίδευσιν ἐπίδοσιν λαβεῖν κατὰ τὴν αὐτοῦ ἡλικίαν. Vides, opinor, hominem gloriosum et magniloquum haud dubitanter principem sibi inter oratores sui aevi locum vindicare, ipsique Isocrati se anteferre, quod is, minus amplis rei familiaris facultatibus instru-

---

[1]) cf. quos laudat Marxius ad Ephor. p. 71.

ctus, erudiendis iuvenibus quaestum facere coactus esset. Atque in prooemio historiarum suarum Theopompum a ceterorum scriptorum reprehensione exordium duxisse Dionysius narrat. [1]) Huc adde, quod diserto Ciceronis aliorumque testimonio constat, Isocratem Atheniensem foro publicaque dicendi exercitatione caruisse, de quo admonuit Taylorus. [2]) Quodsi ipse illud Theopompus memoriae prodidisset, non potest non mirum videri, quod umquam de Isocrate Atheniensi dubitatum sit: nam minime constantem famam fuisse ex Gellio liquet. Itaque mihi quidem Porphyrius eundem sane Theopompi locum ac Photius respexisse videtur; sed eum aut ipse parum accurate inspexit, aut incertum rumorem sequutus est, quales, ubi semel exstiterunt, plerorumque socordia sustentati propagantur. Quae si Ruhnkenius satis perpendisset, non dubito, quin neque Porphyrii testimonium nimis magni fecisset, et Tayloro (Lectt. Lys. c. III. p. 232. seq. T. VI. ed. Reisk.) minus acriter obloquutus fuisset.

In victrici igitur illa oratione quas laudes Mausoli expositas fuisse probabile est, eas Theopompus in historia sua illi minime tribuendas putavit.

---

1) Antiq. Rom. I, 1. Idem fuit Timaeus (Diod. Sic. XIII, 90.) qui apud Longinum de Sublim. IV. p. 13. Ox. *ἀλλοτρίων μὲν ἐλεγκτικώτατος ἁμαρτημάτων, ἀνεπαίσθητος δὲ τῶν ἰδίων* dicitur.

2) En tibi ipsius Pseudo-Plutarchi verba p. 236. *ἐπεὶ δ' ἠνδρώθη (Ἰσοκράτης), τῶν μὲν πολιτικῶν πραγμάτων ἀπέσχετο, ἰσχνόφωνός τ' ὢν καὶ εὐλαβὴς τὸν τρόπον —, ἄλλοις δὲ μεμελετηκὼς φαίνεται, ἕνα δὲ μόνον εἰπὼν λόγον, τὸν περὶ τῆς Ἀντιδόσεως.* cfr. Phot. Cod. CCLX. T. II. p. 486, 20.

Harpocrat. s. v. *Μαύσωλος.* (Tom. I. p. 118. Lips.) *φησὶ δὲ αὐτὸν* (Mausolum) *Θεόπομπος μηδενὸς ἀπέχεσθαι πράγματος χρημάτων ἕνεκα.* Sed hic veritatem sectatus est: tum id maxime operam dedit, ut placeret. Atque ut equidem opinor, ab illa primum Mausoli laudatione illius nomen increbruit, mox gloria universam Graeciam pervasit. Nam ille clarissimas eius terrae urbes et loca ludorum celebritate frequentissima adiens, quum in concione non liceret de rebus vel pace vel bello utilibus orare, legem vel suadere vel dissuadere, civem improbum ac perniciosum apud iudicem persequi, calamitosis opitulari, fictas tractabat controversias atque in eo genere versabatur dicendi, quod Graeci *ἐπιδεικτικὸν* appellaverunt, quia quasi ad inspiciendum factum videretur.[1]) Sed praestat ipsum audire Theopompum: sic enim apud Photium de se praedicat: *ὡς οὐκ ἂν εἴη αὐτῷ παράλογον ἀντιποιουμένῳ τῶν πρωτείων, οὐκ ἐλαττόνων μὲν ἢ δισμυρίων ἐπῶν τοὺς ἐπιδεικτικοὺς τῶν λόγων συγγραψαμένῳ· πλείους δὲ ἢ ιε΄ μυριάδας, ἐν οἷς τάς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων πράξεις μέχρι νῦν ἀπαγγελλομένας ἔστι λαβεῖν· ἔτι δὲ καὶ διότι οὐδείς ἐστι τόπος κοινὸς τῶν Ἑλλήνων, οὐδὲ πόλις ἀξιόχρεως, εἰς ἣν αὐτὸς οὐκ ἐπιδημῶν καὶ τὰς τῶν λόγων ἐπιδείξεις ποιούμενος οὐχὶ μέγα κλέος καὶ ὑπόμνημα τῆς ἐν λόγοις αὐτοῦ κατέλιπεν ἀρετῆς.* In quo quum morem imitaretur sophistarum, eo tamen ab horum consuetudine discessit, quod non quaestus faciendi caussa, ut illi, declamabat, sed eloquentiae famam ore ac laudibus Graecorum ferri cupiebat. Sed hoc genus ad ostentationem maxime ingenii et quandam fugitivam voluptatem com-

---

[1]) Cic. Orat. 12. cf. Thorbecke de Asinio Poll. p. 90. seqq.

positum haud facile ad posteritatis memoriam adspirat: quamobrem Theopompi quoque orationes, quamvis numero haud paucae, interciderunt.

Non praetereunda est hoc loco scita observatio Ruhnkenii (Hist. Crit. p. 159.), plerosque Isocratis discipulos ad historiam scribendam se contulisse: in qua regnat suave illud genus et concinnum, narrationis tenore, tamquam pellucido amni, sponte fluens nec usquam adhaerescens, quod *illi* ex Isocratis disciplina retulerunt. Atque Ephoro quidem et Theopompo, ut supra diximus, ipse designavit Isocrates argumenta quae tractarent. Nunc hoc monendum est, Theopompum et mature historiam scribere aggressum esse, neque ulli sumptui aut labori pepercisse, ut et rerum fides ac veritas constaret, neque orationis elegantia et iucunda legentibus argumenti varietas desideraretur. Itaque ne nescirent lectores, (quamquam nemo potuit, qui vel obiter librum inspexisset, ignorare) *ipse scriptum* reliquit, [1]) seque non solum magnas in omnis generis apparatum impensas fecisse, verum etiam multa ipsum vidisse atque cum iis, qui tum principem in civitatibus locum obtinerent, et imperatoribus et oratoribus et philosophis colloquutum esse dixit. Alexandro notum acceptumque fuisse supra vidimus: ego credo etiam Philippo, quem encomio

---

[1]) Hoc colligitur ex Dionys. Epist. ad Pomp. Vol. VI. p. 783. *δῆλος γάρ ἐστιν, εἰ καὶ μηδὲν ἔγραψε, πλείστην μὲν παρασκευὴν εἰς ταῦτα παρεσκευασμένος, μεγίστας δὲ δαπάνας εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν τετελεκώς* etc. Cfr. Athen. III. p. 85. A. — *Θεοπόμπου τοῦ Χίου, ἀνδρὸς φιλαλήθους καὶ πολλὰ χρήματα κάταναλώσαντος εἰς τὴν περὶ τῆς ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆ.*

celebravit. [1]) Disertis tamen verbis qui ea de re mentionem iniecerit, veterum scriptorum reperio neminem: nisi huc trahere velis Sozomenum, inter doctos homines, quos reges muneribus honoribusque prosequuti sint, etiam Theopompum referentem. [2]) Nam de Polybio infra videbo, qui quum multis nominibus Theopompum graviter invidioseque accusavit, tum vero hoc ausus est scribere, Philippi eum gratiam captasse et lucri cupiditate motum, relicta quam inchoaverat rerum Graecarum historia, ad res Philippi scribendas transiisse.

Difficile fuit Theopompum effugere reprehensionem, propterea quod non solum manifesta scelera quum singulorum hominum, tum civitatum acerrime exagitaret, verum etiam latentia vitia detegeret, caussas cuiusque rei reconditas investigaret, neque improbos homines specie virtutis se iactare pateretur. Quo factum est, ut nonnullis invidus ac maledicus videretur: ex quo in multorum offensiones atque odia incidit gravesque inimicitias suscepit.

Atque his, quas scriptorum suorum libertate contraxit, magna accessit in republica dissensio ac contentio cum *Theocrito Chio*, [3]) qui et ipse Isocraticae disciplinae alumnus, eas partes fovisse vi-

---

[1]) Theon. progymn. p. 77. Cam.

[2]) Sozomen. Hist. Eccl. L. I. p. 394. B. ed. Vales. οὐ τοιοῦτοι (qualem se Théodosius Imp. erga scriptores gessit) *Κρητῶν οἱ πάλαι ἐγένοντο περὶ τὸν ἀοίδιμον ἐκεῖνον Ὅμηρον, ἢ Ἀλευάδαι περὶ Σιμωνίδην, ἢ Διονύσιος ὁ Σικελίας τύραννος περὶ Πλάτωνα τὸν Σωκράτους ἑταῖρον, ἢ Φίλιππος ὁ Μακεδὼν περὶ Θεόπομπον τὸν συγγραφέα.*

[3]) Strab. XIV, 1. p. 183. Suid. s. v. Jonsius de Script. Hist. Philos. I, 9. IV, 3.

detur, quae Alexandro Macedoni adversabantur. Itaque et Aristotelem, huius praeceptorem, notavit epigrammate, cuius partem Diogenes Laert. V, 11. partem Plutarchus de exsilio Tom. X. p. 376. Hutt. servavit, integrum exhibet Euseb. P. ε. XV, 1.

Ἑρμείου εὐνούχου ἰδ' Εὐβούλου ἅμα δούλου
Σῆμα κενὸν κενόφρων τεῦξεν Ἀριστοτέλης,
Ὃς διὰ τὴν ἀκρατῆ γαστρὸς φύσιν εἵλετο ναίειν
Ἀντ' Ἀκαδημείας Βορβόρου ἐν προχοαῖς.

Et Anaximenem Lampsacenum, ex eadem Isocratis domo profectum, eundemque Alexandri comitem, insectatus est. Stobaeus Serm. XXXVI. p. 217, 44. Gesn. *Θεόκριτος Ἀναξιμένους λέγειν μέλλοντος, Ἄρχεται, εἶπε, λέξεων μὲν ποταμὸς, νοῦ δὲ σταλαγμός.* Athen. Epit. L. I. p. 21. c. *Ἕρμιππος δέ φησι, Θεόκριτον τὸν Χῖον ὡς ἀπαίδευτον μέμφεσθαι τὴν Ἀναξιμένους περιβολήν.* Et fuit omnino dicax homo et ingeniosus. Stob. Serm. CXXIII. p. 617, 49. *Gesn. Θεόκριτος ἐν περιδείπνῳ τοῦ πενθοῦντος λαιμάργως ἐσθίοντος, Θάῤῥει βέλτιστε, εἶπεν· οὐ σοὶ μόνῳ ταῦτα γέγονεν.* Idem dicterium, sed paullo immutatum refert Athenaeus L. VIII. p. 344. B. Gesnerus, „Iocus, ait, est in ambiguitate. Nam verba ista, Non ad te solum haec pertinent, ad convivium commune, tum ad communem mortis conditionem referri possunt." Recte: est enim oratio consolantium. Cicero Tusc. Disp. III, 33. *Ne illa quidem consolatio firmissima est, quamquam et usitata est et saepe prodest: N o n t i b i h o c s o l i.* Similem ex ambiguo lusum eiusdem refert Athenaeus l. c. *Τοῦ δ' αὐτοῦ* (Dioclem helluonem dicit) *καὶ τὸν ἀγρὸν καταβεβρωκότος εἰς ὀψοφαγίαν, ἐπειδὴ θερμόν ποτε καταβροχθίσας ἰχθῦν ἔφησε τὸν ο ὐ ρ α ν ὸ ν κατακεκαῦσθαι· Λοιπὸν, ἔφησεν, ἐστὶν, ὁ Θεόκριτος, σοὶ καὶ τὴν θά-*

θάλασσαν ἐκπιεῖν καὶ ἴση τρία τὰ μέγιστα ἠφανικώς, γῆν καὶ θάλασσαν καὶ οὐρανόν. Alia vide apud Stobaeum Serm. II. p. 31, 42. IV. p. 56, 25. XXI. p. 176, 38. XXXIII. p. 214, 36. LXXXI. p. 473, 21. Plutarch. Symp. II, 1, 4. Ne ipsi quidem Alexandro pepercit; sed Antigono illi lusco, qui ad Ipsum occidit, quum facetias suas admovere ausus esset, huius iussu interfectus est. Plutarch. de educ. lib. T. VII. p. 41. seq. Symp. II, 1, 9. Macrob. Sat. VII, 3.

Theocritus igitur quum se adversarium Theopompi professus esset, hic illum in epistolis vel praeceptis ad Alexandrum scriptis, ut hominem luxuriosum atque ex turpissima inopia malis scilicet artibus et populari assentatione ad splendidam fortunam evectum accusavit. [1]) Omnino his epistolis quum multa de statu Graeciae ad Alexandrum retulisse, [2]) in hisque maxime illi, propter quam male audiebat, maledicentiae indulsisse videatur, [3]) magnam sibi invidiam conflavit. Qua inimicissime usus est Anaximenes Lampsacenus, qui nescio qua de caussa Chio nostro iratus, librum conviciis in Athenienses, Spartanos et Thebanos refertum Theopompeo genere dicendi composuit inscriptoque illius nomine evulgavit. [4]) Ex quo ingens omnium adversus Theopompum odium exstitit. Mortuo igitur Alexandro (Olymp. CXIV, 1.), [5]) cuius ipsum

---

[1]) Athen. VI. p. 230. F.

[2]) Athen. XIII. p. 586. C. 595. A.

[3]) Cic. ad Att. II, 6. Dionys. Vol. VI. p. 786.

[4]) Pausan. VI, 18, 3. p. 496. Suid. s. v. Ἀναξιμένης.

[5]) Ante Chr. 323. d. 11. vel 13. Junii, ex rationibus *Lud. Ideleri*, Viri multis mihi nominibus colendi, Handb. d. mathem. u. techn. Chronologie Tom. I. p. 406 seqq.

amicitia et reddiderat patriae et contra melevolorum impetum defenderat, quum undique eiectus in Aegyptum veniret, non multum abfuit, quin iussu Ptolemaei, Soteris puto, ut homo male curiosus et novarum rerum cupidus interficeretur. Sed tum quidem amicis quibusdam deprecantibus evasit.[1] Iidem vero amici utrum veniam illi in Aegypto manendi impetraverint, an alio discedere coactus sit, non reperio a veteribus proditum memoriae. Certe non magno temporis spatio superstitem Alexandro fuisse verisimile est: nam Marxio (ad Ephor. p. 23.) vix iam puto quemquam adsensurum, qui Theopompum aut aequavisse Ephori annos aut proxime ab iis abfuisse existimavit.

Exposita Theopompi vita, scriptorum eius succedat recensus. Huius disputationis fundamentum facere visum est Suidam, ad quem quae ex ceteris auctoribus eruuntur, conferri exigique poterunt. Sed ipsa Suidae verba apponam (Tom. II. p. 178. Kust.): *Θεόπομπος Χῖος, ῥήτωρ, υἱὸς Δαμασιστράτου, γεγονὼς κατὰ τοὺς χρόνους τῆς ἀναρχίας Ἀθηναίων, ἐπὶ τῆς ἐννενηκοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος, ὅτε καὶ Ἔφορος, Ἰσοκράτους ἀκουστής. ἅμα Ἐφόρῳ ἔγραψεν ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν ἐν βιβλίοις β'. Φιλιππικὰ ἐν βιβλίοις οβ'. Ἑλληνικὰς ἱστορίας. ἕπονται δὲ ταῖς Θουκυδίδου καὶ Ξενοφῶντος, καί εἰσιν ἐν βιβλίοις ια', ἔχουσαι τὰ ἀπὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου λοιπά. Ἔγραψε δὲ καὶ ἕτερα πλεῖστα.* Eadem habet Eudocia Viol. p. 230.

---

[1]) Photius T. I. p. 120, 25.

Primo igitur loco commemoranda est *'ΕΠΙΤΟΜΗ ΤΩΝ 'ΗΡΟΔΟΤΟΥ 'ΙΣΤΟΡΙΩΝ*, libris duobus: quam una cum Ephoro scripsisse dicitur. Sed dudum monuerunt viri docti, interpunctionem apud Suidam mutandam esse hoc modo: *Ἰσοκράτους ἀκουστής ἅμα Ἐφόρῳ. Ἔγραψεν ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν* etc. Primus hoc vidit Jo. Meursius ad Apollon. Dysc. Hist. Comment. c. X., probavit Ruhnkenius Hist. Crit. Or. Gr. p. 164. Marxius ad Ephor. p. 34. Ac quae Ruhnkenius ex Grammatico Sangermanensi MS. laudavit, ex hac Epitome Herodotea petita, ea nunc edita sunt in Bekkeri Anecd. Graec. Vol. I. p. 80, 27. p. 104, 16. p. 115, 18. Eandem Suidas et Photius aliquoties citant: sed horum loca in fragmentorum collectione exhibebuntur. Vossium non refello, qui istam Epitomen iunioris cuiusdam Theopompi putabat. Constat, quid de Herodotea suavitate narrandi antiqui rhetores iudicaverint; et Theopompum credibile est, ut aliquid inde coloris suae orationi conciliaret, hanc operam suscepisse. Sed diutius iam in hac quasi proludentis maioribus operibus iuvenili, ut videtur, exercitatione haeremus. — Nunc hoc mihi veniae dabitur, ut, relicto Suidae ordine, deinceps *'ΕΛΛΗΝΙΚΑΣ 'ΙΣΤΟΡΙΑΣ* ponam. Has Thucydidis historiam excipere recte dicit Suidas, consentientibus Marcellino Vit. Thucyd. §. 45. Anonymo de V. Thucyd. §. 5. ed. Goeller. et Diodoro Sic. XIII, 42. Sed idem et Xenophontis historiam eadem continuari male addit, et in numero librorum errat. Neque enim *undecim libros* Hellenica Theopompi habuerunt, sed *duodecim*, teste Diodoro l. c. et XIV, 84. quibus spatium septendecim annorum inde a pugna ad Cynossema usque ad navale proelium ad Cnidum (Olymp. XCII, 2. —

Olymp. XCVI, 3.) complexus est. [1]) Nolim tamen cum Heynio [2]) libro XIImo Historiae Graecae ea exposita fuisse putes, quae tamquam ex libro XIImo Philippicorum ducta retulit Photius Cod. CLXXVI., quamquam etiam Wesselingium ad Diod. Sic. T. I. p. 573. seq. ista turbarunt adeo ut a Callisthene petita suspicaretur. Ceterum Historiae Graecae scribendae auctor fuerat Theopompo Isocrates. Photius Tom. I. p. 121. Saepe utriusque, et Xenophontis et Theopompi, opus una commemorantur [3]) sic ut, uter utro praestantior sit, dubitetur. Ac fuit in recentiore Graecia ridiculum quoddam genus hominum, qui se in plagiis ac furtis veterum scriptorum indagandis sagaces videri vellent. Qui nec Theopompum huius criminis [4]) immunem dimiserunt: in quo multa eius generis Pollio quidam *ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰχνευταὶ* exagitasse dicitur. [5]) Sequuntur *ΦΙΛΙΠΠΙΚΑ*, longe clarissimum operum Theopompi, quod forsitan ab ipso auctore nomine *ἹΣΤΟΡΙΩΝ* vel *ΛΟΓΩΝ ἹΣΤΟΡΙΚΩΝ* inscriptum fuerat. Illum titulum usurpat Athen. III. p. 77. D.

---

1) Diod. XIII, 42. T. I. p. 573. *Ξενοφῶν δὲ καὶ Θεόπομπος, ἀφ᾽ ὧν ἀπέλιπε Θουκυδίδης, τὴν ἀρχὴν πεποίηνται· καὶ Ξενοφῶν περιέλαβε χρόνον ἐτῶν τετταράκοντα καὶ ὀκτώ, Θεόπομπος δὲ τὰς Ἑλληνικὰς πράξεις διελθὼν ἐπ᾽ ἔτη ἑπτακαίδεκα καταλήγει τὴν ἱστορίαν εἰς τὴν περὶ Κνίδον ναυμαχίαν, ἐν βιβλίοις δυοκαίδεκα.* Cfr. Polyb. VIII, 13.

2) In Comm. III. de font. et auct. hist. Diod., in Comment. Soc. Goett. Vol. VII. cl. philol. p. 111. h.

3) Theon. progymn. p. 17. Cam. Euseb. Praep. Evang. X, 3. p. 465. B. ed. Colon.

4) Porphyr. ap. Euseb. Praep. Evang. X, 3. p. 464. C.

5) Euseb. Praep. Evang. X, 3. p. 467. D, ubi *Πολίων* vocatur, cf. Thorbeck. de Asin. P. p. 2. 28. 29.

p. 85. A. IV. p. 144 F. et alibi, hunc Photius Cod. 176. Diodorus (XVI, 3.) τὰς περὶ Φίλιππον ἱστορίας vocat, et ceteri saepissime Φιλιππικά. In his sui aevi historiam comprehenderat, ita quidem, ut in Philippi Amyntae f. rebus tanquam habitaret, simulque et Graecarum civitatem historiam adiungeret, et barborum res gestas enarraret, et in omnem antiquitatis memoriam evagaretur. Quo factum est, ut et praesentium rerum necessitati consuleret, et multiplicis cognitionis utilitatem assequeretur, et huic operi tum ex varietate rerum tractatarum eruditam quandam delectationem, tum ex gravitate dignitatem conciliaret. Ac quantam ille cupidis talium rerum copiam proposuerit, Dionysius testatur, Vol. VI. p. 783. γνοίη δ' ἄν τις αὐτοῦ τὸν πόνον, ἐνθυμηθεὶς τὸ πολύμορφον τῆς γραφῆς. Καὶ γὰρ ἐθνῶν εἴρηκεν οἰκισμοὺς, καὶ πόλεων κτίσεις ἐπελήλυθε, βασιλέων τε βίους καὶ τρόπων ἰδιώματα δεδήλωκε, καὶ εἴτι θαυμαστὸν ἢ παράδοξον ἑκάστη γῆ καὶ θάλασσα φέρει, συμπεριείληφεν ἐν τῇ πραγματείᾳ. Καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ ψυχαγωγίαν ταῦτ' εἶναι μόνον· οὐ γὰρ οὕτως ἔχει· ἀλλὰ πᾶσιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὠφέλειαν παρέχει. Hanc tantam rerum multitudinem ac varietatem Theopompus per LVIII libros disposuit, teste Diodoro Lib. XVI, 3. Quamquam ingenti ab hoc spatio dissidet Suidas, qui LXXII. libros fuisse tradit. Sed cum Diodoro consentit Photius: quos nec nobis contemnendos auctores existimo. Etenim ne dicam, tum ceterorum passim librorum fragmenta a veteribus scriptoribus laudari, tum librorum XXXVIII — LVII. singulorum quaedam servata esse, ultra nullius ne vestigium quidem ullum indagari, vide an Suidae erroris fontem detexerim. Quinquaginta octo enim Philippicorum libris si duos Epitomes Herodoteae et duodecim Hellenicorum addideris, LXXII. illi, quos

iste numeravit, efficiuntur. Quo animadverso fortasse quis adduci possit, ut a quibusdam haec tria opera sub communi nomine *Ἱστορικῶν Λόγων* coniuncta fuisse suspicetur. Quamquam equidem in tanta illius scriptoris negligentia vereor, ne ex eiusmodi commentis parum certa fieri coniectura queat.

In illis igitur amplissimis uberrimisque historiae Philippicae voluminibus quum Theopompus multa ex recondita annalium memoria, multa ex accuratiore rerum naturae cognitione, quae tum incredibiles fecerat progressus, praeter ordinem temporis vellet exponere, saepius usus est *digressionibus*, quas *παρεκβάσεις* vel *παρεκτροπὰς* [1]) Graeci rhetores dixerunt. [2]) Quod genus quum ne Thucydides quidem, adstrictus ille atque in ipsa necessitate et rerum et verborum consistens, damnaverit: [3]) non mirum est post illum cupidius esse tractatum, quod et *πολυμαθείᾳ* huius aetatis magnum campum pateficeret, et aptum relaxandis lectorum animis videretur. Verumtamen Theopompus sic in eo genere versatus est, non ut requiescendi lectoribus occasionem praeberet, sed ut errare oratio videretur et in viam aegre rediret. Theo Progymn. p. 33. Cam. *παραιτητέον δὲ καὶ τὸ παρεκβάσεις ἐπεμβάλλεσθαι μεταξὺ διηγήσεως μακρᾶς. Οὐ γὰρ ἁπλῶς χρὴ παραιτεῖσθαι, καθάπερ ὁ Φίλιστος·* [4]) *(ἀναπαύει γὰρ τὴν διάνοιαν τῶν ἀκροατῶν) ἀλλὰ τὴν τηλικαύτην τὸ μῆκος, ἥτις ἀπαλ-*

---

[1]) Dionysius Epist. ad Pomp. p. 787. *ἔστι δὲ ἃ καὶ κατὰ τὸν πραγματικὸν τόπον ἁμαρτάνει· καὶ μάλιστα κατὰ τὰς παραβολάς.* Scribendum videtur *κ. τ. παρεκβολάς.*

[2]) Photius T. I. p. 121, 35. Dionys. de vet. script. censur. III, 3. Vol. V. p. 429.

[3]) Ipse *ἐκβολὴν λόγου* vocat, I, 97. ubi cf. Goeller.

[4]) Cf. Goeller. de Philist. p. 133. 139.

λοτριοῖ τὴν διάνοιαν τῶν ἀκροωμένων, ὥστε δεῖσθαι πάλιν ὑπομνήσεως τῶν προειρημένων, ὡς Θεόπομπος ἐν ταῖς Φιλιππικαῖς. Δύο γάρ που καὶ τρεῖς καὶ πλείους ἱστορίας ὅλας κατὰ παρέκβασιν εὑρίσκομεν, ἐν αἷς οὐχ ὅπως Φιλίππου, ἀλλ' οὔτε (l. οὐδὲ) Μακεδόνος τινὸς ὄνομά ἐστιν. Quamquam a Theonis reprehensione haud scio an vindicet Theopompum locuples auctor Dionysius, utrumque Theopompi opus, Hellenica et Philippica, ita fuisse dispositum affirmans, minime ut animum distraheret: Vol. VI. p. 783. ἀμφότεραι γάρ εἰσιν εὐπαρακολούθητοι. Longior sane fuit digressio de rebus Dionysiorum, tribus libris (XLI—XLIII.) comprehensa, auctore Diodoro (Lib. XVI, 71.), qui si eam *quinquaginta* annorum historiam continere affirmat, aut parum accurate loquutus est, quum narrationis initium ἀπὸ τῆς Διονυσίου τοῦ πρεσβυτέρου τυραννίδος fieri, eandem εἰς τὴν ἔκπτωσιν Διονυσίου τοῦ νεωτέρου desinere dixit, aut erravit. Ac monuit ea de re iamdudum Ionsius de Script. Hist. Philos. I, 9. In libro XXV, quae de pace cum Persis inita contra Graecorum et maxime Atheniensium opinionem scripsit, nisi per digressionem explicari non potuerunt. Theon. Progymn. p. 13. seq. Ochi expeditio contra rebelles in Cypro, Syria, Phoenice, Aegypto suscepta Olymp. CVII. occasionem praebuisse videtur Theopompo in libro XIImo Philippicorum tum de prioribus Persarum in eas terras expeditionibus, tum de iis, quae antiquitus e Graecia in easdem exierint, coloniis disserendi. Qua de re quum latius sit ad excerptum Photii Cod. CLXXVI, in fragmentis disputandum, nunc quae dici possunt reticemus. Id tamen dicendum est hoc loco, digressionum Theopompearum ratione satis perspecta neque Wesselingium scripturum fuisse, quae scripsit ad Diod. Sic. T. I. p. 573. et Spohnium l. l. paullo

confidentius de his, quae ex Libro XII. retulit Photius, statuere debuisse. Ad eandem Ochi expeditionem retulerim fragmentum apud Longinum de Sublim. sect. XLIII. p. 150. seqq. Oxon. (p. 144. Weisk.) ubi miror Toupium (p. 369.) de Epitome Herodotea et Cambysis in Aegyptum descensu cogitantem, cuius opinionem in Fabricii Bibl. Graec. T. II. p. 333. not. t. securus retulit Harlesius. — Extremo libro Xmo Theopompus notitiam demagogorum Atticorum adiecerat: eamque partem nonnulli a reliquo corpore separaverunt. Athen. IV. p. 166. D. Quorum de sententia Schol. Lucian. T. I. p. 142. citavit Theopompum *ἐν τῷ περὶ Δημαγωγῶν*. Atque eorundem Philippicorum partem fuisse *ΘΑΤΜΑΣΙΑ*, quae dicuntur, Theopompi, [1]) vel e Dionysii verbis supra adscriptis intelligas: *καὶ εἴ τι θαυμαστὸν ἢ παράδοξον ἑκάστη γῆ καὶ θάλασσα φέρει, συμπεριείληφεν ἐν τῇ πραγματείᾳ.* Quam opinionem plane confirmat adhibitus iam eandem in rem a Marxio ad Ephor. p. 32. Apollonius Dyscolus Hist. Comment. c. l. — *καθάπερ ἄλλοι τε εἰρήκασιν, ἔτι καὶ Θεόπομπος ἐν ταῖς Ἱστορίαις ἐπιτρέχων τὰ κατὰ τόπους θαυμάσια.* Quodsi recte Plutarchus de malign. Herod. c. 3. T. XII. p. 287. H. consuetudinem historicorum observavit, ex qua *αἱ ἐκβολαὶ καὶ παρατροπαὶ τῆς ἱστορίας μάλιστα τοῖς μύθοις δίδονται καὶ ταῖς ἀρχαιολογίαις, ἔτι δὲ πρὸς τοὺς ἐπαίνους*, coniicere licet, in istis maxime digressionibus *fabulas*, quibus locum in historiis suis concessisse

---

[1]) Alios *Θαυμασίων* scriptores recenset Ebertus Dissert. Sic. I. p. 174. sq. et Ionsius de Script. Hist. Philos. II, 12. ubi quae de Theocriti Chii *ἐπιστολαῖς θαυμασίαις* scripsit, ea non videntur errore vacare.

dicitur Theopompus, quaerendas esse. Cuius generis fuit nobilis illa de Sileno narratio, quam Aelianus V. H. III, 18. exhibet multique alii commemoraverunt, cf. Dionys. Vol. VI. p. 787. Vol. V. p. 429. Servius ad Virg. Ecl. VI, 13. Heyn. Opusc. Acad. Vol. V. p. 68. de apio libro octavo, Theon. Progymn. p. 12. de draconis contra triremem certamine, Dionys. ll. cc., tum quod eos, qui Iovis in Arcadia templum intrarent, umbram non facere tradidit, Polyb. XVI, 12. T. III. p. 592. et alia *innumera*, Cic. de Legg. I, 1. Laudationes Philippi et Alexandri, quas commemorat Theo Progymn. p. 15. 77., utrum partem eiusdem operis effecerint, an orationibus Theopompi adnumerandae sint, non facile dixerim. Sed liber qui dicitur *ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΣΥΛΗΘΕΝΤΩΝ 'ΕΚ ΔΕΛΦΩΝ ΧΡΗΜΑΤΩΝ*, Athen. XIII. p. 604. F. vereor, ne quemadmodum ii quos modo vidimus, de demagogis et de rebus mirabilibus, pro particula ex Philippicorum serie sumpta habendus sit. Certe non video quam habeat probabilitatis speciem, Theopompum, qui illud sacrilegium in historia Philippi praeterire non potuit, eadem de re duobus libris scripsisse. Est tamen res eiusmodi, quam quoniam neque veterum testimoniis demonstrare, neque disputando ad liquidum perducere possumus, in medio relinquere satius duximus. Etiam de legibus religionibusque Iudaeorum eum scribere voluisse, iactat Iosephus Antiq. Iud. XII, 2, 13. T. I. p. 595. Haverc., sed mente captum triginta diebus et quum deum, a quo sibi eum morbum immissum esse suspicabatur, placare studeret, somnii monitu intellexisse, id sibi accidisse propterea quod res divinas cum profanis hominibus communicare conatus esset. Cf. Euseb. Praep. Evang. p. 353. D. ed. Colon.

His igitur similibusque digressionibus Philippica historia in tot librorum numerum excrevit, ut multos ipsa operis mole a legendo deterritos esse credibile sit. Quorum vel tempori vel socordiae consuluit Philippus, rex Macedoniae, is qui a Flaminino victus est, ac nimiam illam copiam, quam felix et exuberans Theopompi ingenium effuderat, coercens, solas res Philippi Amyntae filii reliquit, quas coniunctas, nihil tamen ut ipse adiiceret, in *sexdecim* libros disposuit. Photius Tom. I. p. 121, 35. Qua opera numquid aequalibus suis profuerit, nescio: illud ausim affirmare, si non caussam, initium certe hoc fuisse labis *miserandae*, quae praestantissimum scriptorem minutatim perdidit.

Eadem digressionum licentia occasionem nuper Harlesio praebuit, ut Theopompo integros quinque libros abiudicare conaretur. Diodorus enim, quum numerum LVIII librorum exposuisset, addit: ἐξ ὧν πέντε διαφωνοῦσιν: de quorum verborum sententia non convenit inter eruditos. Nam Vossius *quinque intercidisse* putabat, Rhodomannus *de vero eorum auctore discordiam intercessisse.* Cuius rationi proximus est Harlesius, qui quum praeeunte Ionsio monuisset, e libris XXI., XXXIX. et XL. afferri eiusmodi locos, qui ad res Dionysiorum, libris XLI—XLIII. expositas, pertinerent, coniecit, „libros, exceptis tribus intextis et a Diodoro significatis, reliquos, in quibus res Siculae aliaeque (?) exponebantur, numero quinque, a nonnullis in dubium vocatos, ideoque a Diodoro Siculo haud numeratos." Huic ego couiecturae, vel potius hallucinationi, non intelligo quae species conciliari possit. Quis enim non videat, multa multis locis de Dionysiis potuisse interponi, etiamsi horum historiam ab origine repetitam et continuo tenore deductam alio loco Theo-

pompus tractavisset? Thucydides de Pisistratidis diligentissime scripsit libro VI., et tamen eiusdem historiae quaedam delibavit ac praecepit L. I. c. 20. Quodsi quis veterum exstitisset, qui de uno alterove eius libro dubitari diceret, tunc adeo suspiciosus esses, ut primum spurium esse pronunciares? Sed alia afferri coniectura potest, eaque haud paullo, ut spero, probabilior. Ea nititur Photii auctoritate, qui et ipse non plures quinquaginta tribus libris tractavit, et iam *antiquitus* quinque libros desideratos esse, sextum, septimum, nonum, vicesimum, tricessimum, veterum quorundam fide tradit: idemque quum deperditis Menophanes duodecimum adiiceret, hunc quidem a se ipso lectum esse profitetur. Quocum si Diodorum contuleris, dubitari vix potest, quin uterque de iisdem quinque libris loquatur, et quos Photius non vidit, iidem iam Diodori aetate interciderint. Citatur sane liber sextus a Steph. Byz. s. v. *Πύγελα*, nonus ab eodem s. v. *Δρόγγιλον* et *Κῶβρυς*, Schol. Aristoph. Av. 962. et ab Eudoc. Viol. p. 92. vicesimus a Steph. s. v. *Σίῤῥα*. ab Athen. IX. p. 401. A. et a Theone Progymn. p. 11. Cam., tricesimus denique ab Harpocrat. s. vv. *Ἱερομνήμονες*, *Κορσιαί*, *Πύλαι*, Athen. VI. p. 254. E. Sed equidem probe teneo, quid his locis efficiatur, neque eiusmodi argumentis de sententia me videor dejicere posse.

Postremo de temporis spatio, quod in Philippicis complexus est Theopompus, si quaeris, initium quidem, a quo profectus est, Diodori testimonio tenemus (L. XVI. 3.): fuit enim ex Olymp. CV. a. 1. quo rerum potitus est Philippus: finem, in quo constiterit ignoramus. Quamquam probabile est, usque ad Philippi necem opus fuisse deductum; fortasse etiam ultra, si quidem iusta fieri coniectura potest ex iis, quae de Alexandro Theopompus scripsit apud

Polluc. V, 42. Potest etiam de tempore editorum Philippicorum quaeri: de quo licet certi nihil afferri posse videatur, hoc tamen probabile puto, ea non esse vivo Alexandro evulgata. Quod qua de caussa ita mihi videatur, tum dicam ubi Polybii de Theopompo iudicium examinabo.

Proxime nominandus est *ΤΡΙΚΑΡΑΝΟΣ*, qui liber quum rarissime a veteribus laudetur, ne tituli quidem rationem viri docti expedierunt. Suspicari aliquid possumus ex Luciani Pseudolog. 29. Tom. III. p. 185. Reitz. *τίς οὕτως ἐν λόγοις μεγαλότολμος, ὡς ἐπὶ μὲν τοὺς τρεῖς μοιχοὺς ἀντὶ ξίφους τρίαιναν αἰτεῖν, τὸν δὲ Θεόπομπον ἐπὶ τῷ Τρικαράνῳ κρίνοντα φάναι, τριγλώχινι λόγῳ καθῃρηκέναι αὐτὸν τὰς προὐχούσας πόλεις καὶ πάλιν, ἐκτριαινῶσαι αὐτὸν τὴν Ἑλλάδα, καὶ εἶναι Κέρβερον ἐν τοῖς λόγοις.* Ubi Gesnerus quum *Τρικάρανα*, castellum terrae Phliasiae (Xenoph. H. Gr. VII, 2, 1. ibique Schneider. cf. Suid. et Harpocr. s. v. Müller. de Dor. II. p. 434.) ex ipsius Theopompi libro LV. apud Steph. Byz. s. v. attulisset, „Videtur ergo, inquit, in illo libro commemorasse actionem aliquam suam Theopompus, qua de Tricarano iudicaverit." Alio loco (ad Lucian. T. III. p. 383.) oblitus eorum, quae supra scripserat, auctore ut videtur J. A. Fabricio Bibl. Graec. T. II. p. 503. *Τρικάρανον* inter comoedias Theopompi (Atheniensis) deperditas fuisse dicit. Prorsus mirabilia affert doctissimus Moyses Solanus. Ac Gesnerus quidem in Luciani verbis interpretandis mirifice lapsus est, quum *κρίνοντα* ad Theopompum referret; tum quidem certe oportuit, quod sequitur, *αὐτὸν* deletum. Ipsum quoque genus loquendi offensionem habiturum esset. Nam *κρίνειν τινὰ ἐπί τινι* (*ἐγκλήματι* vel *ἀδικήματι*) optime dicitur: *κρίνειν ἐπί τινι*, me indice, ne Graecum quidem est. Sed *ὁ κρίνων* est *μεγαλότολμος* iste,

Timarchus Antiochenus sophista, a quo Lucianus quum esset lacessitus, gravissimas ab homine stolidae arrogantiae pleno poenas exegit, eiusque mores turpissimos atque incredibilem elegantiorum litterarum inscitiam, denique ridiculum genus dicendi hoc libello acerrime insectatus est. Is igitur Timarchus contra Theopompi Tricaranum quasi coram iudice declamitans, dixerat, eum *tricuspide* oratione clarissimas civitates destruxisse, et alio loco, eum *ἐκτριαινῶσαι τὴν Ἑλλάδα, καὶ εἶναι Κέρβερον* (tricipitem scilicet) *ἐν τοῖς λόγοις*. Nimirum Theopompus, si quid video, *tres* primarias atque, ut ita dicam, *capitales* Graeciae urbes in Tricarano criminationibus prosciderat. Atque in etymo nominis *Τρικάρανος* idem Lucianus alio loco Fugit. 32. similiter lusit. Verba facit Mercurius, missus a Iove, ut Philosophiam ab eorum hominum flagitiis vindicaret, qui his temporibus satis multi, relicta in qua inveteraverant vita sellularia negotiisque illiberalibus, philosophorum habitum cultumque suscipere consueverant, quorum sub commenticio adulterinoque nomine pessimas libidines exercerent, impudentiaque poscendi quum maximas divitias collegissent, abiecta simulatione reliquam aetatem securi otiosique in omnium voluptatum abundantia atque in detestabili flagitiorum impuritate transigerent. Mercurius igitur cum Hercule ipsaque Philosophia ad id genus hominum coercendum profectus, fullonem quendam offendit, cuius tres servuli, Cantharus, Lecythio et Myropnus, eodem philosophandi furore correpti, una cum eius uxore effugerant. Quocum sociato itinere quum Orphei indicio domum istorum omnis nequitiae magistrorum cognovissent, mulierem intus Homerica quaedam cum servis cantantem audiunt. Tum dominus (§. 31.): *Οἴμοι γύναι, ὅσα πέπονθας ὑπὸ κυνῶν τοσού-*

των· φασὶ δ' αὐτὴν καὶ κύειν ἀπ' αὐτῶν. Respondet Mercurius: Θάῤῥει, Κέρβερόν τινα τέξεταί σοι ἢ Γηρυόνην, ὡς ἔχοι ὁ Ἡρακλῆς οὗτος αὖθις πόνον. Scilicet Apollodoro auctore, Biblioth. II, 5, 10. Geryones habuit τριῶν ἀνδρῶν συμφυὲς σῶμα, συνημμένον εἰς ἓν κατὰ τὴν γαστέρα, cfr. Suid. s. vv. Γηρυόνης et Τρικέφαλος. Mox comprehensis servulis Mercurius §. 32. καὶ αὐτὸς ἀπόλαβε τὴν γυναῖκα σύ, cui ille homo bonus: Μηδαμῶς· οὐκ ἂν λάβοιμι βιβλίον μοι τῶν παλαιῶν κύουσαν. Ἑρμ. Πῶς βιβλίον; Δέσπ. Ἔστι τι, ὦ 'γαθέ, Τρικάρανος βιβλίον. Ἑρμ. Οὐδὲν ἄτοπον, ἐπεὶ καὶ Τριφάλης τῶν κωμικῶν εἷς. [1]) Frigidus sane iocus est, nisi forte hunc librum multorum ea aetate sermonibus iactatum suspicari velis; nec tamen de Tricarani ratione quaerentibus omnino negligendus. Tres igitur illae, ut dixi, capitales urbes quaenam fuerint, non potest obscurum esse. Videlicet Athenae, Sparta et Thebae intelligendae sunt. Quas

---

[1]) Removi, quod hoc loco mihi licere existimavi, personam τοῦ Ὑποδίκου, vel, ut alii volunt, Ὑποδοχέως, quae omnino delenda videtur. Huic enim quae verba vulgo assignantur, ea multo melius domino fugitivorum servorum tribuas. Neque error Gesneri relinquendus est, ὑποδοχέως istius sive hospitis subditivi uxorem nescio quam comminiscentis, quam servi benigne recepti κατὰ τὸν Ἰλιέα νεανίσκον, ut loquitur Lucianus, corruperint. Una a Luciano inducitur mulier, eaque fallonis istius coniux servos sequuta, cf. §. 27. eandem ῥαψῳδοῦσαν audiunt, de eiusdem ille partu metuit. In postremis ad Aristophanis fabulam deperditam, quae Τριφάλης inscribebatur, respici putant Gesnerus et Schneiderus in Lexico; quamquam videtur scabri quid in verbis residere. Cfr. Hesych s. v. Ἑρμῆς τρικέφαλος et s. v. Ἰλίων. Vide tamen quid e Suidae loco efficias Tom. III. p. 507. Τριφάλης, Τριφάλητος, ὄνομα κύριον παρὰ Ἀριστοφάνει.

quidem si memineris in eo quoque libro, quem Theopompo supposuit Anaximenes, accusari, numquid audacius fecisse videbimus, si subditicium istum et Tricaranum non diversos fuisse coniecerimus? Huic coniecturae magnum, ut equidem arbitror, firmamentum accedit ex Iosepho c. Apion. T. II. p. 459. Haverc. *καὶ γὰρ ἐθνῶν τινες καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων πόλεων ῥυπαίνειν τὴν εὐγένειαν καὶ τὰς πολιτείας ἐπεχείρησαν λοιδορεῖν· Θεόπομπος μὲν τὴν Ἀθηναίων, τὴν δὲ Λακεδαιμονίων Πολυκράτης, ὁ δὲ τὸν Τριπολιτικὸν γράψας (οὐ γὰρ δὴ Θεόπομπός ἐστιν, ὥς τινες οἴονται) καὶ τὴν Θηβαίων πόλιν διέβαλε.* Ubi quod Theopompus civitatem Atheniensium carpsisse dicitur, id eo loco fecisse videtur, quem significaverunt Athenaeus L. VI. p. 254. B. et Demetrius de Elocut. §. 251. *Tripoliticum* vero istum, qui cum reprehensione Atheniensium et Lacedaemoniorum *etiam* Thebanorum criminationem coniunxit, quivis iam *videat*, cum *Tricarano* illo nostro plane eundem esse: cuius nos quidem Anaximenem auctorem fuisse suspicamur, Iosephus, contra ac nonnulli opinabantur, certe Theopompum non esse affirmat. [1])

---

[1]) Alii quid ea de re iudicaturi sint, exspecto: interim videor C. O. Muelleri mihi gratulari posse assensum, quem video et ipsum in Ephem. Goetting. 1825. p. 371. Tricaranum a Theopompo abiudicavisse, etsi in libro de Orchom. p. 107. nullam eiusmodi suspicionem indicasset. Quamquam ea in his terris conditione vivimus, ut multis libris aut omnino carendum sit, aut sero eos cognoscamus: quo fieri facile potuit, ut aliorum, qui similia docuerunt, ignari mentionem negligeremus. De Muelleri quidem sententia eo ipso tempore, quo has plagulas describeremus, comperimus ex Beckii Repertor. 1825. Tom. III. p. 261. — Ceterum Varronis quoque *Τρικάρανον* fuisse ex Appiano de B. C. II, 9. constat; cf. Spanhem. de Praest. Num. T. II.

Multorum criminationes etiam aliud habuit Theopompi opus, *'ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ 'ΑΡΧΑΙΚΑΙ*. Hunc enim titulum unice verum existimo. Nam quod in quibusdam libris Dionysii est, *'Αχαϊκαί*, quomodo „ad famosos libellos ab Anaximene sub Theopompi nomine divulgatos trahi possit," ut Sylburgius opinabatur, non intelligo. Nec magis probanda est alterius tituli ab eodem proposita explicatio, ut *ἐπιστολαὶ ἀρχαϊκαὶ* sint „antiquo stilo scriptae." Vellem scire, quid sordium ex antiquo more Theopompus corraserit, ut hae epistolae inde nomen acciperent. Quamquam Valckenarium video in eadem sententia fuisse, qui emendabat apud Dionysium, *ἐπιστολάς τε τὰς ἀρχαϊκῶς γραφομένας*, probante Ruhnkenio Hist. Crit. p. 163. Qui quod emendandam Dionysii scripturam censuit, assentior: emendationem probo Sylburgii: *ἀρχαϊκὰς ἐπιγραφομένας*. Idem Sylburgius aliam quoque Epistolarum *ἀρχαϊκῶν* explicationem proposuit: *de prisci saeculi virtutibus*, quam etsi de virtutibus nihil in fragmentis, multa de quorundam hominum vitiis reperio, dum melius quid afferatur, amplector. *'Επιστολὴ πρὸς 'Αλέξανδρον* laudatur ab Athen. XIII. p. 595. A. quae Ruhnkenio non diversa videbatur a *Συμβουλαῖς πρὸς 'Αλέξανδρον*, Athen. VI. p. 230. F. Neque *Συμβουλευτικὸς* ad Alexandrum, quem commemorat Cicero ad Att. XII, 40. ab his separandus videtur. Athenaeus L. XIII. p. 586. C. laudat Theopompum *ἐν τοῖς περὶ τῆς Χίας 'Επιστολῆς*, quod haud scio an lenius alii correxerint, verius quidem nihil existimo quam quod

---

p. 173. Fabric. ad Dion. Cass. T. I. p. 146. Ruhkopf. praef. ad L. Ann. Senec. Vol. IV. p. XXXI.

quod Casaubonus coniecit, ἐν ταῖς Ἀρχαϊκαῖς Ἐπιστολαῖς. Nam diversam non esse hanc epistolam ab ea, quae *ad Alexandrum* inscribitur, res inde relatae suadent. Ad eandem respexit Suidas s. v. Ἔφορος de Theopompo scribens: ἐπέστελλέ τε πολλὰ κατὰ Χίων Ἀλεξάνδρῳ. — Praeterea multas Theopompus ORATIONES scripsit, suasorias et panegyricas: nam *diu orator fuit*, teste Quintiliano Inst. Orat. X, 1, 74. Ac quantam in eo genere operam Theopompus collocaverit, ipsius verbis supra exposuimus. Huc pertinet illa, quam commemoravimus, funebris laudatio Mausoli. De encomiis quoque Philippi et Alexandri supra diximus: Theonis locis addendus est Suidas s. v. Ἔφορος· καὶ μέντοι καὶ αὐτὸν Ἀλέξανδρον ἐγκωμιάσας πολλά. Λέγεται δὲ καὶ ψόγον αὐτοῦ γεγραφέναι, ὃς οὐ φέρεται. — Claudat agmen Liber *ΚΑΤΑ ΤΗΣ ΠΛΑΤΩΝΟΣ ΔΙΑΤΡΙΒΗΣ*, quem cur scripsisse videatur, in superiori disputatione indicavimus. Nam ille solum ex omnibus Socraticis Antisthenem laudavit, Diog. Laert. V, 14. et Platonem quidem etiam a Philippo reprehensum esse retulit. Diog. Laert. III, 40. cf. Caryst. Pergam. Athen. XI. p. 506. E.

Verbo tetigisse sufficiat incertam, verum tamen antiquam famam, qua Theopompus octavum Thucydideae historiae librum absolvisse ferebatur: cui sic contradixit Marcellinus Vit. Thucyd. §. 43. ut post illum qui de auctore eius libri dubitet, nemo facile τῶν χαριεστέρων reperiatur.

Librum περὶ εὐσεβείας a Schol. Aristoph. Av. 1360. sub Theopompi nomine laudatum, Theophrasti esse vidit Ruhnkenius, coll. Diog. Laert. V, 50. Meursium etiam Solon. cap. 24. (c. 2045. B. apud Gronovium) nulla suspicione tactum videas.

Hoc denique loco apponam verba Creuzeri praef.

ad Marxii Ephorum p. XIII. „In Catalogo patriarchalis Bibliothecae, quae saeculo adhuc decimo sexto Constantinopoli fuisse fertur, (in Alteri, Professoris nuper Vindobonensis, excerpto apud Harles. Suppl. ad Introd. in hist. L. Gr.) igitur eo in Catalogo et alia leguntur, quae mirationem faciant, et vero illud quoque: ἱστορικὸν Ἐφόρου τοῦ φιλοσόφου. Cui continuo subiicitur: ἱστορικὸν Θεοπόμπου." Vellem sane eiusmodi κειμήλιον effugisset manus barbarorum, quorum saevitiae iusto diutius Graecia obnoxia est. Verum istorum furiosae catervae nec vivis, ut hoc ipso tempore, nec mortuis pepercerunt. Certe ego plane his assentior, quae Creuzerus ad elevandam huius Catalogi fidem disputat. Itaque dum ὁλόκληρος nobis forte fortuna ab inferis exstiterit Theopompus, operae pretium erit vel has exiguas eius operum reliquias collegisse.

Ac quoniam nobismet ipsis haec clarissimi ingenii monumenta fortuna invidit, reliquum est, ut collectis veterum testimoniis, quid de Theopompi vel virtutibus vel vitiis statuendum sit, inquiramus, et quandam illius ingenii formam, si fieri possit, et imaginem adumbremus. Ac primum dicendum est, in qua ille aetate ac consuetudine temporum versatus historiam scribere aggressus sit: quod ego faciendum putavi, non quo aut harum angustiarum existimarem, aut mei consilii esset, hunc locum uberius persequi, sed ne quis omnino praetermissum quereretur. Historia igitur apud Graecos et a multis magnoque ingenio viris exculta est, et eadem tamen et nata serius et perfecta est. Cuius rei quum variae caussae afferri possint, maxime tamen duas valuisse crediderim: quarum altera est in argumenti ratione, altera in dicendi genere posita. Nam neque rerum eum delectum, in quo pos-

set historia consistere, ii fecerunt, qui primi in hoc genere operam collocarunt, qui λογογράφοι sunt appellati: et id genus dicendi attulerunt, quod ab annalium exilitate non multum distaret. Ac quamquam recentiores logographos adeo nonnunquam ab eius, quam profitebantur, artis specie atque natura prope abesse videas, ut ab optimis in eo genere auctoribus aegre discernantur: tamen eos plerumque in conatu defecisse animadvertimus. Successerunt bella Persica, in quibus quum maxima multorum ingenia illustrata sunt, tum universus populus altius spectare coepit, atque in magna legum varietate exercitata est prudentia civilis. Tum exstitit primum eloquentia, quam prior aetas, qua principes viri rempublicam consilio magis atque auctoritate, quam persuadendi sollertia rexerant, non admodum requisiverat, nec unquam addidicerunt, qui in optimatium imperio retinerentur. [1]) Sed tum qui principes in dicendo erant, maiorem fere ingenii vim quam doctrinae subtilitatem afferebant, et sic dicebant, ut natura poterant, nulla adhibita verborum collocatione ad aurium voluptatem, neque ullis ornamentis ad cultum orationis atque elegantiam. Artem ac praecepta sophistae invenerunt, quorum studio tanquam in palaestra ingenia dicentium exercitata atque ad copiam ornatumque orationis conformata sunt. Atque etiam philosophia his temporibus quum a Socrate ad rerum bonarum disputationem esset traducta, multiplicem quandam atque uberem sermonum varietatem suppeditavit. Itaque his temporibus Herodotus et Thu-

---

[1]) Cic. Brut. 13. Vellei. Paterc. I, 18. Tacit. Dial. de Orat. 40.

cydides exorti sunt; quorum alter veterem logographorum consuetudinem emendavit, sic ut plurimis in partibus egregie historici officium tueretur, in nonnullis eorum, a quibus esset profectus, similitudinem quandam relinqueret; alter e foro atque e media republica et maximi belli strepitu ad historiam se contulit, eamque ab animi oblectatione ad rerum veritatem traductam ampla atque elata voce tanquam in concione loqui docuit. Et hic quidem ex Antiphontis Rhamnusii disciplina venerat, qui non solum ipse orationes fecit graves ac copiosas, sed etiam artem dicendi fere primus Athenis professus est. Quo quidem in genere superiores omnes sic vicit Gorgiae illius antiqui discipulus Isocrates, ut, quibus ex rebus efficeretur orator, optime et praeceptis comprehendisse et exemplo demonstrasse videretur: cui nisi forensis exercitatio defuisset, perfectum oratorem diceres. Sed a concione et iudiciis quum eum vocis infirmitas et quidam pudor removisset, *mollem in umbra* atque splendidam orationem educavit, quae delectaret, sed ad civiles controversias minus roboris haberet. Ab hoc doctus Theopompus sic scripsit historiam, ut oratorem vel potius sophistam agnosceres.

Ac genus dicendi Isocrateum in eius scriptis deprehendi tanto veterum Criticorum consensu constat, ut mireris, quid Petro van Spaan in mentem venerit, quum haec scriberet (Dissert. de Antiph. Tom. VII. p. 806. Reisk.) „Isocrates Theopompum ad eloquentiam formavit, Demosthenem Isaeus. At quis Theopompum oratione similem dicat Isocrati aut Demosthenem Isaeo?" De Demosthene nunc non disputo. Theopompi oratio qualis fuerit, optimus talium rerum iudex, Dionysius, doceat: Vol. VI. p. 786. *Ὁ δὲ λεκτικὸς (Θεοπόμπου χαρακτὴρ) Ἰσοκράτει μάλιστα*

ἔοικεν· καθαρὰ γὰρ ἡ λέξις καὶ κοινὴ καὶ σαφής τε καὶ μεγαλοπρεπὴς καὶ τὸ πομπικὸν ἔχουσα πολύ, συγκειμένη τε κατὰ μέσην ἁρμονίαν, ἡδέως καὶ μαλακῶς ῥέουσα. Eadem ferme de vett. scriptt. cens. Vol. V. p. 429. Similiter Photius: πολὺ γὰρ ἐν τοῖς Θεοπόμπου ἡ κατὰ μίμησιν ἰδέα τῶν παρ' Ἰσοκράτει, εἰ καὶ λείπεται τῆς κατὰ τὴν ἐργασίαν ἀκριβείας. Idem intelligas ex iis, quae de Isocrate scribuntur, ne verbis quidem discrepantia, apud Dionys. de Isocr. iud. c. 2. 3. Phot. Cod. CCLXV. Tom. II. p. 493, 24. Adde Marx. ad Ephor. p. 36. Goeller. ad Timaeum p. 185. Cum hoc enim sic fere Ephorus et Theopompus coniunguntur, ut in eo genere, quod perfecit Isocrates, praeceptore illi quidem inferiores, sed ceteris eius discipulis praestantiores haberentur. Menander Rhetor, laudatus a Marxio p. 14. ὥςπερ Ἔφορος ἐστεφανοῦτο καὶ Θεόπομπος, οἱ μαθηταὶ Ἰσοκράτους, ὡς διαφέροντες τῶν ἄλλων· καὶ γὰρ Ἰσοκράτης ἀρετῆς προυτίθει τοῖς ἀρίστοις τῶν ἀκροατῶν κατὰ μῆνα στέφανον. — Dionys. de Isaeo iud. 19. Vol. V. p. 626. οὐ δὴ δεῖν ῥώμην, Ἰσοκράτους ἐν ἅπασι πάντων τούτων (Gorgiae, Alcidamantis, Theodori Byzantii, Anaximenis Lampsaceni) ὑπερέχοντος, λόγον τινὰ ποιῆσαι περὶ ἐκείνων· οὐδέ γε περὶ τῶν συμβιωσάντων Ἰσοκράτει καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς ἑρμηνείας ἐκείνου ἐκμιμησαμένων ουθένος, Θεοδέκτου λέγω καὶ Θεοπόμπου καὶ Ναυκράτους, Ἐφόρου τε καὶ Φιλίστου (scrib. Φιλίσκου, cf. Goeller. de Philist. p. 111.) καὶ Κηφισοδώρου καὶ ἄλλων συχνῶν· οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνοι κρίνεσθαι πρὸς τὴν Ἰσοκράτους δύναμίν εἰσιν ἐπιτήδειοι. Ac quum tria dicerentur genera esse dicendi, primum austerum, secundum splendidum, tertium commune (Dionys. de comp. verb. c. XXI. p. 290. Schaef.) mediique generis ex oratoribus principatum teneret Isocrates: huius ad laudem proxime accesserunt Ephorus et

Theopompus. Dionysius de compos. verb. c. XXIII. p. 342. *Ἐποποιῶν μὲν οὖν ἔγωγε μάλιστα νομίζω τουτονὶ τὸν χαρακτῆρα* (*τὴν γλαφυρὰν καὶ ἀνθηρὰν σύνθεσιν* supra dixerat) *ἐπεξεργάσασθαι Ἡσίοδον· μελοποιῶν δὲ Σαπφώ, καὶ μετὰ ταύτην Ἀνακρέοντά τε καὶ Σιμωνίδην· τραγῳδοποιῶν δὲ μόνον Εὐριπίδην· συγγραφέων δὲ ἀκριβῶς μὲν οὐδένα, μᾶλλον δὲ τῶν πολλῶν Ἔφορόν τε καὶ Θεόπομπον, ῥητόρων τε Ἰσοκράτην.* Egregie Cleochares Smyrleanus apud Photium T. I. p. 121, 9. *ὑπὲρ τῶν Ἰσοκρατικῶν ἁπάντων οἶμαι λέγων φησὶ, τοὺς μὲν Δημοσθενικοὺς λόγους τοῖς τῶν στρατιωτῶν ἐοικέναι μάλιστα σώμασι, τοὺς δὲ Ἰσοκρατικοὺς τοῖς τῶν ἀθλητῶν.* cf. Phot. Cod. CCLXV. T. II. p. 493, 24. Nam de Duride Samio [1]) quid loquar, arroganti homine et vix inter secundos, quo iudice *Ἔφορος καὶ Θεόπομπος τῶν γενομένων πλεῖστον ἀπελείφθησαν· οὔτε γὰρ μιμήσεως* [2]) *μετέλαβον οὐδεμιᾶς οὔτε ἡδονῆς ἐν τῷ φράσαι, αὐτοῦ δὲ τοῦ γράφειν μόνον ἐπεμελήθησαν.* Sed Theopompus quidem adeo similis praeceptoris sui fuit, ut, quae in Isocrate reprehenduntur, eadem in illo improbentur. Ex hoc genere fuit illud, quod vocalium concursum diligentissime vitavit, Dionys. Vol. VI. p. 786. seq. (ex quo loco emendandus idem Vol. V. p. 429.) Demetr. de Elocut. §. 68. Cic. Orat. 44. Quintilian. IX, 4, 35. Sophistam produnt similiter exeuntia, paria paribus relata, antitheses: quibus iusto saepius cum Isocrate usus esse Theopompus fertur, cf. Cic. Orat. 12. 19. 49. Dionys. l. c. et de Isocr. Vol. V. p. 561. de Thuc. Vol. VI. p. 869. de ad-

---

[1]) Apud eundem Photium T. I. p. 121, cfr. Panofka de reb. Sam. p. 91.

[2]) V. Marx. ad Ephor. p. 40.

mir. vi dic. in Demosth. p. 963. Isocrat. Panath. §. 2. Bekk. Diod. XII, 53. Demetr. de Elocut. §. 27. §. 258. §. 262. Fisch. Lucian. Dial. mort. X, 10. T. I. p. 373. In librum undecimum Philippicorum locum Isocratis ex Areopag. §. 4. τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν οὐδὲν αὐτὸ καθ᾽ αὐτὸ παραγίγνεται τοῖς ἀνθρώποις etc. totum ne verbis quidem mutatis transtulit, auctore Porphyrio apud Euseb. Praep. Evang. X, 3. p. 464. C. Totum genus dicendi acutum magis quam grave et vehemens dixeris: Demetrio iudice, Theopompus quamquam δεινὸς videbatur, δεινὰ οὐ δεινῶς λέγει, de Elocut. §. 75. cf. §. 251. Similis est reprehensio Longini de Sublim. sect. XLIII, 2. p. 144. Weisk. (p. 150. Oxon.) Ὁμοίως καὶ ὁ Θεόπομπος ὑπερφυῶς σκευάσας τὴν τοῦ Πέρσου κατάβασιν ἐπ᾽ Αἴγυπτον, ὀνοματίοις τισὶ τὰ ὅλα διέβαλεν. Omnino Theopompus saepius acrimoniae cuidam indulsit, quae in verbis facete luderet, rerum gravitatem pessumdaret; quo factum est, ut, quum vellet vehemens videri, iocanti nonnumquam similis evaderet, ut in iis, quae ex prooemio libri XLIX. retulit Polybius VIII, 11. quem locum notavit etiam Demetrius de Elocut. §. 258. Quamquam in his quoque felix interdum eius acumen fuit, ut quum Philippum δεινὸν dixit ἀναγκοφαγῆσαι πράγματα, Longin. de Sublim. sect. XXXI, 1. p. 104. Weisk. (p. 108. Oxon.) Nonnulla tamen vocabula finxit, quae ut ἀδόκιμα a grammaticis reiiciuntur, v. c. ἀπολῖται, ἀφέταιροι, ἀπαθηναῖοι, Pollux Onom. III, 58. quorum duo postrema omisit Schneiderus in Lex. Graeco. Idem Pollux IV, 93. Theopompum parum locupletem in verborum delectu et iudicio auctorem dixit. Sed his atque talibus reprehensionibus ne nimis moveamur, facit minime mitis atque indulgens veterum scriptorum censor, Dionysius in illa saepe iam lau-

data Epistola ad Pompeium, qui de vitiis Theopompi sic disputat, ea ut a laudum commemoratione haud multum abesse videantur. Nata sunt enim fere omnia ex nimio quodam ὡραϊσμοῦ studio, nec satis severa praestantis ingenii moderatione. Quo cum iudicio egregie concinit Dio Chrysost. Orat. XVIII. p. 256. e. Morell. (T. I. p. 479. Reisk.) *Τῶν δὲ ἄκρων Θουκυδίδης ἐμοὶ δοκεῖ καὶ τῶν δευτέρων Θεόπομπος· καὶ γὰρ ἱστορικόν τι περὶ τὴν ἀπαγγελίαν τῶν λόγων ἔχει, καὶ οὐκ ἀδύνατος οὐδὲ ὀλίγος περὶ τὴν ἑρμηνείαν, καὶ τὸ ῥᾴθυμον περὶ τὰς λέξεις οὐχ οὕτως φαῦλον, ὥστε σε λυπῆσαι.* Quo quidem in loco post ea, quae supra disputavimus, sic sunt omnia aperta ad intelligentiam, ut nihil de Reiskii conatu addendum videatur. Inprimis vero clarum Theopompi virtutum testimonium ediderunt, qui scriptorum in suo cuiusque genere praestantissimorum canones fecisse dicuntur, Aristophanes Byzantius et Aristarchus, qui eum in illustrium ingeniorum societate atque in praestantissimorum historicorum serie collocaverunt. [1]) Hermogenes de Form. Orat. T. III. p. 396. ed. Sturm. non exputo quid spectaverit, quum scriberet: [2]) *περὶ Θεοπόμπου καὶ Ἐφόρου καὶ Ἑλλανίκου καὶ Φιλίστου καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις περιττὸν ἔδοξεν εἶναι μοι γρά-*

---

[1]) Vid. Rnhnkenius in Hist. Crit. Or. Gr. p. 168 seqq. cf. Wyttenbach. Vit. Ruhnken. p. 145. annot. p. 286. seqq. Creuzer. de art. hist. Gr. p. 224. seq. In Bibl. Coisl. p. 597. hi numerantur: *Θουκυδίδης, Ἡρόδοτος, Ξενοφῶν, Φίλιστος* (vid. Goeller. de Philist. p. 134.), *Θεόπομπος, Ἔφορος, Ἀναξιμένης, Καλλισθένης, Ἑλλάνικος, Πολύβιος.* Cf. Marx. ad Ephor. p. 62. Heeren. Opp. T. VI. p. 433.

[2]) Locum Hermogenis quoniam ipse inspicere non potui, exhibui ex fide Marxii Ephor. p. 43. et Goelleri de Philist. p. 134. seq. Cfr. Creuzer. l. l. p. 225. de Hecat. Miles. p. 16.

φειν ... ὅτι ζήλου καὶ μιμήσεως τὰ εἴδη τῶν λόγων αὐτῶν οὐ πάνυ τοι (leg. *τι*), *μᾶλλον δὲ οὐδ' ὅλως ... ἠξίωται, παρὰ τοῖς Ἕλλησι, καθάπερ τὰ τῶν ἄλλων, οἷον Θουκυδίδου, Ἡροδότου, Ἑκαταίου, Ξενοφῶντος, τῶν λοιπῶν*: nisi hunc locum ad dicendi genus, quo usi sunt Theopompus et Ephorus, referas: in quo eam laudem adepti sunt, ut eius, qui in eodem perfectissimus videretur, Isocratis similes haberentur, ipsi ad imitationem proponi nequiverunt. Atque inprimis, ut opinor, displicuit in illis *τὸ κομμωτικὸν κάλλος*, quod dixit Photius Bibl. T. II. p. 487. B. 28. quod haud scio an in animo habuerit Philostratus, quum eos his verbis oblique perstringeret (Vit. Soph. I, 17, 4. p. 506. Olear.) *Θεόπομπον γὰρ τὸν ἐκ Χίου καὶ τὸν Κυμαῖον Ἔφορον οὔτ' ἂν διαβάλοιμι, οὔτ' ἂν θαυμάσαιμι.*

De his diximus, in quibus Isocratis discipulum agnosceremus, et quid nimio ornandae orationis artificio peccaverit, explicavimus. Differebat Theopompus ab Isocrate impetu et vehementia, tum maxime conspicua, si in civitatum ducumque improbitatem inveheretur: cuiusmodi in locis eum Dionysius ne Demosthenis quidem vi atque gravitate inferiorem esse affirmat. Elatione atque altitudine orationis suae Thucydidis et Philisti concisis sententiis, nonnunquam etiam non satis apertis offecisse dicitur a Cicerone Brut. 17. In his eum credibile est oratorias artes, in quibus aetatem consumpserat, maxime ostentasse: modum tamen et hic excessisse videtur. Plutarch. reip. ger. praec. c. 6. T. XII. p. 150. H. (T. IV. p. 224. Wytt.) *ἐπὶ δὲ τῶν Ἐφόρου καὶ Θεοπόμπου καὶ Ἀναξιμένους ῥητορειῶν καὶ περιόδων, ἃς περαίνουσιν ἐξοπλίσαντες τὰ στρατεύματα καὶ παρατάξαντες, ἔστιν εἰπεῖν· Οὐδεὶς σιδήρου ταῦτα μωραίνει πέλας.* Memorabile exemplum, ex quo possumus, qua ratione in hoc genere versatus sit, exi-

stimare, habemus nobilem illum μῦθον τοῦ Πολέμου καὶ τῆς Ὕβρεως in libro XX., ὃν ὁ Φίλιππος διεξέρχεται πρὸς τοὺς αὐτοκράτορας τῶν Χαλκιδέων. Theon. Progymn. p. 11. Sophistarum in eo quoque consuetudinem imitatus est, quod fabulas saepe interposuit: quo genere illi quum ad animi remissionem, tum in exemplorum commemoratione libentissime utebantur. Quamquam Theopompus in Graecarum originum mentione ne potuit quidem has ineptias, si cui severiori ita dicere libeat, omnino declinare, et Graeci in iis rebus, quae vetustate ac maiorum religione consecratae erant, maluerunt creduli quam temere suspicaces videri. Verumtamen assentior Creuzero praef. ad Ephor. p. VII. seqq., quod Theopompum multa eius generis ad originem suam atque ad veritatem revocare studuisse censet, idque ipse videtur Theopompus significare voluisse, quum se fabulas quoque melius quam Herodotum, Ctesiam, Hellanicum et Indicorum scriptores narraturum esse professus est. Strab. I, 2. p. 43. Cas. p. 68. Tauchn.

A fabulis ad *fidem* Theopompi veniamus, qua continetur omnis historiae vis atque praestantia. Quo loco paullo plura dicentur, quandoquidem iniuria quosdam huius scriptoris auctoritati detraxisse affirmare possumus. In fide igitur historici iudicanda hac fere utimur ratione, ut quaeramus, utrum ille vera tradere vel potuerit vel voluerit. Ac Theopompus quidem, qui et aequalis fuit eorum temporum, quorum historiam scripsit, et multorum summorum hominum familiaritate usus est, et magnos ad explorandam rerum veritatem sumptus fecisse dicitur, nemo facile dubitet, quin et facultate instructus fuerit, nec voluntate defecerit. Itaque ab Athenaeo III. p. 85. A. ἀνὴρ φιλαλήθης dicitur. Neque vero in suae tantum aetatis rebus cavebat, ne quid

erroris committeretur, verum etiam inveteratas sed easdem corruptas opiniones impugnavit atque acerrimum ad res omnes iudicium adhibuit: cuius rei praeclarum documentum habemus quae de pace, quae dicitur, Cimonis scripsit. Sed quum eiusmodi opiniones saepe cum populari vanitate et gloria maiorum coniunctae essent, non mirum est, quod nimis sedula ista ipsius diligentia atque invida visa sit. Quare apud eundem Athenaeum L. VI. p. 254. B. ὁ· *δυσμενέστατος* vocatur, et *maledicentiae* crimen saepissime ei obiicitur. Lucian. de conscr. hist. 59. T. II. p. 67. *καὶ τὴν αὐτὴν Θεοπόμπῳ αἰτίαν ἕξεις, φιλαπεχθημόνως κατηγοροῦντι τῶν πλείστων, καὶ διατριβὴν ποιουμένῳ [περὶ] τὸ πρᾶγμα, ὡς κατηγορεῖν μᾶλλον ἢ ἱστορεῖν τὰ πεπραγμένα.* — *Πικρὸς καὶ κακοήθης* audit apud Suidam s. v. *Ἔφορος*: adde Cic. ad Att. II, 9. Plutarch. de malign. Herod. p. 286. Nep. V. Alcib. 11. Clem. Alex. Strom. I. p. 316. Oxon. Quorum testimoniis qui moventur, eos monitos velim, Theopompum in ea aetate versatum esse, quae esset plena criminum atrocissimorum in repuplica, fraudis ac malitiae in vita privata. Quocirca si saepius reprehendendi quam laudandi occasionem habuit, id non scriptoris invidiae ac malivolentiae, sed temporum iniquitati tribuendum est. Quodsi qui tamen reperiuntur, qui id minus acerbe fieri potuisse existiment: vereor, ne perniciosior sit ista assentantium vitiis multitudinis facilitas quam vel acerrima exagitatio. Theopompum sane aegre tulit illa aetas, ad virtutem mollis, sed eadem exprobrantium voces minime tolerans: quod est certissimum corruptorum morum indicium. Ac multos illis temporibus videas, qui speciem honestatis tueri cuperent, intus turpissimis cupiditatibus servirent, nec divini nec humani iuris memores, corruptores,

prodigi, avari: quorum nocturna scelera ac furta Graeciam pessumdederunt. Hi Theopompum non fefelleruut, qui non verba illorum audienda, sed facta consideranda, et, tamquam iudex apud inferos Minos, istis eos involucris spoliandos putabat: in quo ille quamquam communem generis humani caussam egisse censendus est, tamen haud scio quo pacto ii semper invidi ac maledici habentur, qui istos hominum societati inimicissimos insidiatores tamquam e latebris protraxerint. Sed ne cui favere Theopompo magis quam veritati videar, non is ego sum, qui illum in investigandis fraudibus fortasse nimis nonnunquam acutum fuisse atque ostentandae eloquentiae atque earum sententiarum, quae praeclare de virtute dicuntur, occasionem quaesisse negem: sed eum detrahere cuiquam aut obtrectare voluisse haud facile concesserim. [1]) Quid igitur? pugnantia et contraria qui tradat, nonne mendacii convictus tenetur? Negari id quidem non potest, ac Polybius in eiusmodi mendacio quum Theopompum deprehendisse sibi videretur, omnium illum gravissime accusavit. Quamquam vide quid de Polybio statuas, vix ullum veterum historicorum commemorante, quin eum vehementer insectetur: nam in Theopompum ea utitur contentione ac verborum acerbitate, quae nos, ne temere credamus, commonefaciat. Locus est Polybii in L. VIII. c. 11 — 13. Tom. III. p. 27. seqq. ed. Schweigh. Narrat quibus modis Philippum Theopompus in prooemio praedicaverit: commotum se magnitudine hominis dicere ad res eius scribendas; tamen hunc et in ipso prooemio et tota in historia maximeque initio libri XLIX.

---

[1]) Cfr. Boeckh. Oecon. Att. I. p. 316. et Koch in Prolegg.

omni flagitiorum genere inquinatum scribere. *Ταύτην δὲ τήν τε πικρίαν καὶ ἀθυρογλωσσίαν τοῦ συγγραφέως τίς οὐκ ἂν ἀποδοκιμάσειεν; οὐ γὰρ μόνον ὅτι μαχόμενα λέγει πρὸς τὴν αὐτοῦ πρόθεσιν ἄξιός ἐστιν ἐπιτιμήσεως, ἀλλὰ καὶ διότι κατέψευσται τοῦ βασιλέως καὶ τῶν φίλων, καὶ μάλιστα διότι τὸ ψεῦδος αἰσχρῶς καὶ ἀπρεπῶς διατέθειται.* Vix de Sardanapalo eiusmodi crimina quemquam perscripturum fuisse, nedum de Philippo, cuius in laudes tum exspatiatur Polybius. Quare ratione carere Theopompi acerbitatem: *προθέμενος γὰρ ὡς περὶ βασιλέως εὐφυεστάτου πρὸς ἀρετὴν γεγονότος, οὐκ ἔστι τῶν αἰσχρῶν καὶ δεινῶν, ὃ παραλέλοιπεν. Λοιπὸν ἢ περὶ τὴν ἀρχὴν καὶ προέκθεσιν τῆς πραγματείας ἀνάγκη ψεύστην καὶ κόλακα φαίνεσθαι τὸν ἱστοριογράφον, ἢ περὶ τὰς κατὰ μέρος ἀποφάσεις ἀνόητον καὶ μειρακιώδη τελείως, εἰ διὰ τῆς ἀλόγου καὶ ἐπικλήτου λοιδορίας ὑπέλαβε πιστότερος μὲν αὐτὸς φανήσεσθαι, παραδοχῆς δὲ μᾶλλον ἀξιωθήσεσθαι τὰς ἐγκωμιαστικὰς ἀποφάσεις αὐτοῦ περὶ Φιλίππου. Καὶ μὴν οὐδὲ περὶ τὰς ὁλοσχερεῖς διαλήψεις οὐδεὶς ἂν εὐδοκήσειε τῷ προειρημένῳ συγγραφεῖ· ὅς γε ἐπιβαλόμενος γράφειν τὰς Ἑλληνικὰς πράξεις, ἀφ᾽ ὧν Θουκυδίδης ἀπέλιπεν, καὶ συνεγγίσας τοῖς Λευκτρικοῖς καιροῖς καὶ τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν Ἑλληνικῶν ἔργων, τὴν μὲν Ἑλλάδα μεταξὺ καὶ τὰς ταύτης ἐπιβολὰς ἀπέῤῥιψε, μεταλαβὼν δὲ τὴν ὑπόθεσιν τὰς Φιλίππου πράξεις προὔθετο γράφειν. Καίτοι γε πολλῷ σεμνότερον ἦν καὶ δικαιότερον τῇ περὶ τῆς Ἑλλάδος ὑποθέσει τὰ πεπραγμένα Φιλίππῳ συμπεριλαβεῖν, ἤπερ ἐν τῇ Φιλίππου τὰ τῆς Ἑλλάδος. — — Καὶ τί δήποτ᾽ ἦν τὸ τὰς τηλικαύτας ἐναντιώσεις βιασάμενον παριδεῖν τὸν Θεόπομπον; εἰ μή, νὴ Δία, ὅτι ἐκείνης μὲν τῆς ὑποθέσεως τέλος ἦν τὸ καλὸν, τῆς δὲ κατὰ Φίλιππον τὸ συμφέρον. Οὐ μὴν ἀλλὰ πρὸς μὲν ταύτην τὴν ἁμαρτίαν, καθὸ μετέβαλε τὴν ὑπόθεσιν, ἴσως ἂν εἶχέ τι λέγειν, εἴ τις αὐτὸν ἤρετο περὶ*

τούτου· πρὸς δὲ τὴν κατὰ τῶν φίλων αἰσχρολογίαν οὐκ ἂν οἶμαι δυνηθῆναι λόγον αὐτὸν ἀποδοῦναι, συγχωρῆσαι δὲ, διότι πολὺ παρέπεσε τοῦ καθήκοντος.

Summa igitur orationis Polybianae eo redit, ut Theopompum et pugnantia et falsa scripsisse, in iisque magna usum esse verborum turpitudine dicat. His quae respondeas, non difficilia sunt ad reperiendum. Etenim quum maximis rebus gestis ac gloria Philippi ad scribendum se commotum esse dixit, non hoc dixit, nihil esse in illo, nisi quod praestans ac laudabile esset, sed, id puto intellexit, Philippum ingenio, fortitudine, patientia facile principem sui saeculi esse; eundem fidem, iustitiam, temperantiam, pudorem, castitatem multis in locis nihil pensi habuisse. Cuius viri virtutes quo ille vehementius admirabatur, laudandus est potius quam reprehendendus, quod mores minime probandos existimavit. Neque in eo est, quod constantiam scriptoris desideres. Velut si quis de maximo horum temporum homine, Napoleone Imperatore, scribere aggressus, multa de illius prudentia, fortitudine, ingenio praedicaret, non idem continuo mendax et maledicus habeatur, si illi crudelitatem, iniustitiam, ambitionem, multa pessima facinora exprobraverit. Quid? quod Polybius imperatorias Philippi virtutes sic probavit, ut vitia eius vel maxima ignorare vel dissimulare videatur. Nam Theopompum de ingenio Philippi multo rectius iudicasse, et sciunt ii, qui eius aevi monumenta paullo diligentius tractaverunt, et demonstrabo tum in fragmentis, tum fortasse accuratius, si quando, quod est in votis, Philippi historiam edere contigerit. Unum non praestiterim, quod eum Polybius verbis nonnunquam minus verecundis usum esse arguit: in quo ille parum ingenii sui vehementiae moderabatur. Quod autem addit Polybius, eum relictis, quas inchoaverat, rebus Graecis ad Philippi historiam transiise, quum externi hominis rebus gestis historiam popularium praeferre debuisset: id an Graecis placuerit, dubito; nobis quidem levissimum videtur. Ex quo nisi ab inimicissimo et, ut ingenue dicam,

invido obtrectatore conici potest, eum lucri caussa res regias attigisse. Magna scilicet a Philippo praemia exspectare debuit is, qui illius pessimas artes non solum aequalium odiis, verum etiam posteritatis memoriae detectas tradiderat. Nisi forte Polybius solum a Philippo prooemium operis Theopompei lectum esse arbitrabatur: quamquam vel in hoc, illo ipso teste, ea legebantur, quibus gavisum esse Philippum vix credideris. Ego vero Philippicas historias ne editas quidem vivo Philippo existimo. Etenim aegre mihi persuadeo, eum potuisse Alexandro tam acceptum esse, qui de huius patre tam foeda memoriae prodidisset. Itaque quum utriusque amicitiam nulla simultate interruptam esse appareat, in eam opinionem adducor, ut mortuo demum Alexandro hoc opus evulgatum esse censeam.

Quae quum ita sint, sic nobis videmur Theopompum a Polybii criminibus purgasse, ut eum cum praestantis ingenii exquisitaeque doctrinae laude acerrimum veritatis virtutisque omnis studium coniunxisse intelligamus. Cuius viri scripta si salva esse potuissent, multis antiquitatis partibus, in quibus nunc vix quidquam certi dispicimus, lucem salutemque afferrent. Sed Theopompus tot tantasque quum aliorum, tum vero temporis iniurias perpessus est, ut ab his qui eum vindicare conetur, difficilem quandam gravemque caussam suscipiat. Nos voluimus quidem illi prodesse et his vulneribus, quae ipsi vel invidia vel barbaries inflixit, aliquam medicinam adhibere: quid ei praestiterimus, docti peritique iudicabunt.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Etsi pauca nunc quidem reperio, quibus nostra de Theopompo disputatio augeri possit, tamen nec illa praetereunda censui.

Quod conieceram p. 38. not. 1. *παρεκβολάς*, suadente jam olim Valckenario ad Herodot. IV, 167. recepit Kruegerus in Dionysii Historiogrr. p. 57. — P. 44—47. De Tricarano similia disputasse C. O. Muellerum in Prolegg. ad Mythol. p. 98. et J. H Vossium in Seebodii *Archiv* II. 1. 129. ex amico cognovi. Ceterum Dicaearchi *Τριπολιτικὸν*

(Athen. IV. p. 141. A.) ab hac quaestione removendum esse facile ut opinor obtinebo. — P. 48. Dionysii locum de *Epistolis Archaicis* tractavit etiam Kruegerus l. l. p. 51. qui quod voc. *γραφομένας* corruptum putat, mecum consentit: sed idem quum dubitat, „*ἐπιγραφομένας* substituendum sit an *γραψάμενος*," deceptus videtur praecedente participio *συνταξάμενος*. Nam *γραψάμενος* eo significatu, quem huius loci sententia flagitat, in Graecia ni fallor ignoratum est. Eodem loco probare videtur inscriptionem eam, quam in codd. nonnullis se reperisse dicit H. Stephanus, *Ἐπιστολαὶ Ἀχαϊκαί*, de quibus novam quandam coniecturam affert. „Cum Achaeos, inquit, optimis legibus usos esse constet (v. Strabo VIII, 7. p. 219 sq. ed. Tauchn. et Polyb. II, 38.) non improbabile videtur Theopompum *Ἀχαϊκὰς ἐπιστολὰς* scripsisse eo quidem consilio, ut, quo erat ingenio, alias civitates hoc nomine reprehenderet. Quae quidem coniectura optime convenit cum eo, quod Dionysius posteriori loco dicit, Theopompum has epistolas *τῷ πνεύματι ἐπιτρέψαντα γεγραφέναι*." Mihi hoc non probari, non est quod dissimulem. Ceterum si coniectandi libertati in hac re indulgendum esse existimassem, aliud etiam exornare poteram commentum. Nam si hae Epistolae *Ἀρχικαὶ* appellatae fuerint, intelligere licebit vel ab eo, qui magistratu fungeretur, vel ad principem de imperio rite administrando scriptas. De voc. *ἀρχικὸς* diligenter disputavit Hasius ad Jo. Lydum de Ostent. p. 302 sqq.

P. 59 seqq. De *κακοηθείᾳ* Theopompi cum Polybio sentit idem Kruegerus l. l. p. 56. et Weiskius de hyperbole I. p. 35. Me nondum poenitet eorum, quae de hoc crimine scripsi. De Polybio iuvabit contulisse *Lucam* in progr. Regiomonti 1826. edito: *Ueber Polybius Darstellung des Aetol. Bundes. Erster Theil.* (p. 31. not. 1. p. 54 sqq.) De Philippi ingenio v. *Drumann.* Gesch. des Verfalls d. gr. St. P. I. p. 27.

Postremo nonnulla operarum errata remanserunt: cui rei medemur, ut possumus, diligenter indicandis, quaecunque ex eo genere deprehendimus, vitiis:

P. 7, l. 9. scribe: minutae. p. 9, 26. *Θεόπομπος*. p. 11, 23. Marxius. p. 15, 26. hac. p. 20, not. 5. Plutarch. p 21, not. 3. Longin. de subl. s. II. p. 23, 22. evertendum. p. 24, 15. Diodoro. p. 28, not. 1. fecit pro fuit. p. 30, 17. Idque pro Itaque. p 32, 5. P. E. p. 34, 1. malevolorum. p. 36, 10. commemoratur. p. 36, 20. *ἹΣΤΟΡΙΩΝ*. p. 40, 17. *παράδοξον*. p. 46, 27. fullonis. p. 47, 3. videbimur.

Typis Ioannis Friderici Starckii.

